Pape



Hermann Peter
1875.

# DISSERTATIO HISTORICO-LITERARIA

DE

# C. TERENTIO VARRONE.

# DISSERTATIO HISTORICO-LITERARIA

DE

# C. TERENTIO VARRONE,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

**HENRICI COCK,**

JUR. ROM. ET HOD. DOCT., ET JUR. PROF. ORD.,

NEC NON

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

**Pro Gradu Doctoratus,**

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS
HUMANIORIBUS

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

*IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA*

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

*JUSTUS DOROTHEUS GUILIELMUS PAPE,*

RENSWOUDA—TRAJECTINUS.

AD DIEM VII DECEMBRIS MDCCCXXXV, HORA II—III.

**Lugduni Batavorum,**

APUD S. ET J. LUCHTMANS.

MDCCCXXXV.

PARENTIBUS

OPTIMIS CARISSIMIS

*SACRUM.*

**C. G. PAPE**

*PATRI CARISSIMO,*

**J. D. G. PAPE,**

*S. P. D.*

---

*Sex fere anni sunt, quod cum fratre Lugdunum Batavorum ad studia profecturo, viatici instar hoc monitum mihi dares, « κάμνε, φιλεῖ τῷ κάμνοντι σύγκαμνειν Θεός" addito Hectoris voto καί ποτέ τις εἴπῃσι· πατρὸς δ' ὅγε πολλὸν ἀμείνων. Quod potui, feci, nec Deus mihi Optimus Maximus defuit.*

*Non*

*Non vero est, quod hic tibi res meas Academicas bonas, faustas et felices enarrem, nam locus et occasio vetat, ac praeterea semper omnia tibi scribere solebam, quae ad me pertinerent: primum quidem, quia haec omnia tibi maxime curae esse sciebam, deinceps vero, quia non exiguam voluptatem capiebam ex Epistolis ad te conscribendis, cujus consilio, sive in studiis persequendis, sive in vita regenda, semper indigerem.*

*Taceo igitur, quos et quales nactus fuerim Praeceptores, nosti tu ferme omnes, viros revera Clarissimos ut varii generis doctrina, ita collatis in me beneficiis (vim vocis capis et perspicis) conspicuos. Et quid illos recenseam, quorum nomina sunt pervulgata et in omnium ore? quid beneficia commemorem, quae sen-*

*sentire animo tantum possum, exprimere verbis non possum? Unum hoc doleo, quod talibus viris gratiam debitam nunquam referre possum.*

*Jamque Dissertationem absolvi de C. Terentio Varrone conscriptam. Spero ut placeat. Juvenile opus invenies, nec vero aliud quid expectas, ac pro viribus peractum. In perlegendo autem sine dubio reminisceris, si quaedam non ita recte proposita aut digesta occurrunt, Homeri dicentis.* « 'Αλλ' οὐ γάρ πως ἔστιν ἀΰπνους ἔμμεναι αἰὲν Ἀνθρώπους. »

*Hoc prae me fero me in elaborando hoc qualicunque opusculo duplex percepisse gaudium; alterum quod ita profectuum meorum tibi speciem exhiberem, alterum, quod aliquantulum tuis votis de capessendo in Litteris gradu Doctoratus satisfacerem. Quantopere jam exhilarat animum*

*mum cogitatio praeceptorum! quoties lego et perlego litteras tuas ut amore ita consiliis plenas, quibus me semper ad indefessa studia hortabare; ad quaevis bona tu mihi auctor, ad quaevis laudabilia tu mihi admonitor, in quibusvis difficilioribus tu mihi adjutor extitisti. Quid multa? Pater mihi fuisti, cui pares sunt pauci, quem, ut arbitror, superat nemo.*

*Utinam te carum caput, diu conservet Deus Summus in aetate non annis sed laboribus ingravescente, tuam valetudinem confirmet et per longam annorum seriem maneas, quod semper fuisti, dilectissimae matri et exoptatissimis fratribus, sororibus mihique praesertim voluptas, honos et columen.*

Scripsi Lugduni Batavorum Prid. Kal. Dec. MDCCCXXXV.

# DISSERTATIO HISTORICO-LITERARIA

DE

# C. TERENTIO VARRONE.

---

## INTRODUCTIO.

Quam vim unus saepe homo in integras nationes exerceat, nostra sane tempora satis abunde declaraverunt, nec aliter post hominum memoriam res semper sese habuit. Unius Themistoclis magis consilio quam armis Graeciae, victus est Xerxes, unus Epaminondas universam Graeciam in libertatem vindicavit (1), unus Fabius Rem Romanorum labefactatam restituit; quid multa? non desunt exempla, quibus, ex uno pependisse maximarum civitatum et gentium salutem, probari possit; Contra etiam videmus unum saepe aut in perniciem extitisse patriae aut causam fuisse interitus civitatis suae, nam quis est, ne plura afferamus, qui inter Romanos non Coriolani, inter Graecos non Pausaniae meminerit!

Ope-

(1) Vid. C. Nepos in Epaminonda c. 8. assentienti Diodoro Siculo lib. 15. pag. 474. Lamb.

Operae sane pretium est, tales sive in bonam sive in malam partem cognoscere, non solum, quia cognitio eorum arctissime cum Historia conjuncta est, praesertim vero, quia delineatio vitae est indolis multum confert ad explicandas causas, quibus civitates aut concussae, interierint aut ab interitu revocatae atque servatae sint.

Non abs re ita futurum duxi, Specimen qualecunque ad obtinendos in Litteris Summos honores, edere et virum mihi contemplandum sumere, qui cum extremis temporibus civitatem prudentia et consilio servare debuisset, ac potuisset, parum abfuit, quin audacia et temeritate sua totam perdidisset, Cajum volo Terentium Varronem, Consulem.

Hujus itaque vitam expositurus, de hoc argumento dissertationem in tres partes divisi, in quarum Prima parte disquisitio instituetur de auctoribus, quibus hac in materia tractanda usus sum, Altera descriptionem complectetur temporum et rerum, quibus Varro ad Rempublicam accessit. Tertio denique loco in ipsam vitam Consulis investigabimus



PARS

# PARS PRIOR.

## DE AUCTORIBUS, QUI DE CAJO TERENTIO VARRONE MEMORIAE PRODIDERUNT.

Necessarium igitur duxi, indicare fontes, e quibus, tum status horum temporum, tum res ad Varronem pertinentes, cognosci possint. Recensebo auctores secundum aetatem qua vixerint; sic enim optime statuere possumus, quaenam fides illis singulis habenda sit, quo remotiores enim sunt ab hisce temporibus, eo minorem fidem illis habendam esse censeo nisi etiam hauserint ex iisdem fontibus aut ex ipsis historicis huic aetati proximis.

Multi sane sunt scriptores, qui Bellum Punicum II. sibi tractandum sumserunt, neque mirum; nam omnium temporum monumentis vix aliud celebratur bellum, quod cum Bello Punico Secundo conferri possit, sive bellicas artes cladiumve multitudinem et magnitudinem, sive annorum, per quos tenuit numerum, ducumque virtutem et res ab illis gestas, sive eventuum varietatem et magnitudinem respiciamus. Recensebimus autem tantummo-

do illos, quorum operibus usi sumus, quum et multorum aliorum celebrium auctorum opera extiterint, quae omnia temporis injuria interierunt. Praeter Polybium enim, Livium aliosque, quos infra citabo, qui historiam Belli Punici Secundi exposuerunt aut vitas tantum aliquot ducum descripserunt, M. Porcius Cato, teste Cornelio Nepote, in Originum libro quinto, historiam Belli Punici II. exposuit et M. Terentius Varro, cujus libros de Bello Punico II. Priscianus laudat, aliique scriptores majoris aut minoris momenti.

Primo loco ponendus est

POLYBIUS,

exemplum illud omnium historicorum, quem Strabo jure vocat ἄνδρα ἀξιόλογον, quemque et Cicero et Livius bonum atque non contemnendum auctorem vocant, tum omnium rerum Romanarum tum praecipue in Graecia gestarum (1). E recentioribus sat erit unum Wyttenbachium nominasse de Polybio dicentem. « Veri quaerendi et libere « profitendi studium acerrimum: ejusdem a falso « discernendi cum ex rerum usu, tum ex literarum « scientiâ et omni doctrina, judicium subtile: fa- « ctorum eventuumque sagacissima explicatio, e « causis principiisque suis repetita; sive hae caus- « sae

(1) Vid. Cic. de Officiis lib. 3. cap. 32. Livius lib. 33 cap. 10.

« sae continerentur in singulorum ingeniis hominum,
« sive in cujusque rei publicae aut dynastiae con-
« stitutione et formâ, sive in harum mutua ratione
« et conjunctione universaque orbis terrarum quasi
« civitate, sive in militari disciplina, sive in coeli
« naturâ, sive in locorum situ regionumque pro-
« ventu et opportunitate, sive in hominum, pro va-
« rietâte locorum et civitatum, diversitate, frequen-
« tia, animorum indole, corporum robore. In qui-
« bus omnibus describendis non solum diligentissi-
« mi enarratoris, sed gravissimi auctoris laudem ha-
« bet. Adeo nullus est ab eo memoratus homo,
« locus, eventus, quin ejus tam certam haberet
« scientiam, quam si sensibus ipse suis eum cogno-
« visset: nulla vitae naturaeque humanae pars, quin
« eam et ratione et experientia tractatam ac peni-
« tus perspectam habuisse videatur. Itaque effecit,
« quod sibi proposuerat, Historiam vitae magis-
« tram, nunciam veritatis, et futurorum ex praete-
« ritis prudentissimam conjectricem (1)."

Neque mirum; obses enim Romae vitam agens, occasionem optimam habuit conscribendae historiae horum temporum: Testes scilicet plerumque horum temporum aequales adhibuit ut v. c. Fabium Pictorem (cujus sententiam de causis belli Punici Secundi affert in lib. 3. cap. 8.) in historia belli Gallici et Punici II. cui Fabius interfuerat

(1) Vid. Praefatio Primae editionis Select. Principum Histor. pag. XVIII.

rat (1), et Philinum, qui a Polybio reprehenditur, tamquam nimio studio Carthaginiensibus favens (2). Contigit praeterea Polybio Libros Censuales, qui in Capitolio servabantur, Annales Pontificum, foederum monumenta, (saepe ab illo citata Lib. III. de bello Punico II. in Italia) orationes, epistolasque a testibus oculatis conscriptas, inspicere et in suos usus adhibere.

Auctor est Polybius historiae universalis Ἱστοριᾶς καθολικῆς inde ab initio Belli Punici I. ad interitum Regni Macedonici, hujus vero operis tantum quinque priores libri, qui supersunt, res belli Punici II. ad pugnam Cannensem usque continent, reliquos non nisi paucis fragmentis exceptis, desideramus.

Polybium excipit

CORNELIUS NEPOS,

cujus vitae Excellentium Imperatorum satis notae sunt; quomodo autem historiam horum temporum in vita Hannibalis narraverit, deinde videbimus. Praeter has vitas, quae Nepotis nomine feruntur, scripsit Chronica aut Annales, quorum fragmenta tantum supersunt (3), praeterea libros virorum illu-

(1) Polyb. lib. II. cap. 28.
(2) Polyb. lib. I. cap 14.
(3) Aulus Gellius Noct. Att. XVII. 21.

lustrium (1), etiam librum de Historicis, de quo ipse mentionem facit in Dione cap. 3.; qualem vero lucem, haec opera perdita nobis fortasse afferrent in cognoscendis multis horum temporum rebus, magis conjici, quam certo definiri potest.

Aetate tertius, ubertate primus, est ille celeber Historicus

TITUS LIVIUS PATAVINUS,

qui etiam historiam Belli Punici II exposuit, caeterisque auctoribus longe antecellit, tum copia rerum in universum gestarum, tum accuratione in singulis. Illum igitur ducem secuti, ejusque auctoritate plurimis in locis nisi, operae pretium existimavimus investigare omnes fontes e quibus Livius potuerit haurire, historiaeque suae materiem colligere.

Titus Livius Aequalis Augusti, Historias conscripsit 42 libris, e quibus tantum 35 supersunt, decem scilicet priores inde a Roma condita ad annum Romae conditae 460, et liber 21 — 45 aut ab initio belli Punici II. ad annum Romae conditae 586. Reliquorum deperditorum Epitome tantum extat; quod ad Chronologiam attinet, sequitur Catonianam. Nullomodo certe definiri potest, qua auctoritate usus sit in conscribendis suis prioribus libris; credibile vero est, monumenta illi maximi momenti ad ma-

(1.) Aulus Gellius Noct. Att. XI. 8.

num fuisse. Quis vero ista recenseat, ipso Livio tacente? Est haec enim et ejus et aliorum consuetudo, scriptores suos et fontes non recensere ad fidem historiae suae conciliandam, sed tantum, neque id semper, in auctorum dissensu, eorum quos secutus est nomina apponere (1). Inde vero a libro vigesimo primo potissimum quasi presso vestigio secutus esse videtur Polybium, quamquam nonnunquam ab illo dissentit, ubique autem apparet, Livium plurima debere Polybio tum quod ad bellum Punicum tum quod ad res Graecas. Neque alium meliorem auctorem potuit sequi, quia Polybius ipso tempore rerum gestarum vixit, iisque aut interfuerat aut ab aliis testibus fide dignis acceperat. Quod autem saepius Polybii nomen non apposuerit, ubi narrationum discrepationes memorat, videtur Lachmanno (2) ideo factum, quod sine haesitatione plerumque Polybium secutus sit (3); Multa praeterea e Fabio Pictore depromsit, quem ipse citat Livius lib.

(1) Vid. Livius lib. 26. cap. 49 ubi Silenum et Valerium Antiatem inter alios citat, quamquam insuper confitetur se legisse annales Graecorum et Latinorum auctorum lib. 32. cap. 6 in fine, lib. 29. cap. 27. et lib. 39. cap. 50.

(2) Fridericus Lachmann, Commentatio de Fontibus Historiarum T. Livii, Gottingae 1828.

(3) Vid. Livius lib. 33. cap. 10 ubi dicit: « Sed Polybium secuti sumus, non incertum auctorem quum omnium Romanarum rerum, tum praecipue in Graecia gestarum » quanti ergo Livius Polybium fecerit ex his verbis satis apparet. Cff. porro lib. 34. cap. 50 et lib. 36. cap. 29.

lib. 22. cap. 7. hisce verbis: » Praeterquam quod « nihil haustum pro vano velim, quo nimis inclinant « ferme scribentium animi, Fabium (1) aequalem « temporibus hujusce belli potissimum auctorem ha« bui," hic Fabius Pictor, gentilis erat et amicus Dictatoris, atque postquam ipse bello Punico II interfuerat deinde Delphos legatus est missus (2), verosimiliter igitur Livius omnia ea, quae ad Fabium Maximum pertinent e Fabio Historico sumsit, et hic forte causam habemus, cur Livius semper optima et splendida quaeque nobis de Fabio Maximo narrat; Silenus insuper Galacte in Sicilia oriundus Livio non ignotus fuit, in lib. 26. cap. 49 enim « si auctorem," ait, « sequar Graecum Silenum", hic Silenus una cum Hannibale in castris fuit, cum illo vixit quamdiu fortuna passa est, et bella ab illo gesta litteris mandavit (3).

L. Cincii Alimenti aequalis Fabii Pictoris, Annales Graece conscriptae etiam Livio servierunt, qui Cincius initio belli Punici II. Quaestor erat atque dein-

(1) Vid. de Fabio Pictore Dionys. Halicarnass. I. 6. qui de illo dicit « οἷς μὲν αὐτὸς ἔργοις παρεγένετο, διά τὴν ἐμπειρίαν ἀκριβῶς ἀνέγραψε."

(2) Livius lib. 13. cap. 11.

(3) Nepos in vita Hannibalis cap. 13. « Hannibalis bella « gesta multi memoriae prodiderunt, sed ex his duo qui « cum eo iu castris fuerunt, simulque vixerunt, Silenus et « Sosilus Lacedaemonius." Cf. Cic. de Divinat. I. cap. 24 ubi Cicero affirmat, Coelium auctorem a Livio adhibitum, hunc autem Graecam historiam Sileni secutum esse.

deinde Praetor in Sicilia (1), et igitur optime multas res ad bellum Punicum II pertinentes memoriaque dignas, scripto consignare potuit, cum Livius ipse illum diligentem monumentorum auctorem vocat (2).

L. Coelius Antipater qui sequitur et qui non totam historiam Romanam exposuit, sed partem ejus accuratius explicandam sibi sumsit, a Livio ipso inter probatos et veri amantes scriptores refertur (3), exemplo sit lib. 23. cap. 6. ubi auctor postulationem Campanorum, ut alter Consul Campanus fieret, pro certo ponere veritus est, quia Coelius aliique scriptores hac de re nullam mentionem fecerant. Ex qua re patet, quamnam auctoritatem huic Coelio tribuerit.

Citantur etiam a Livio P. Rutilius Rufus Consul, qui Romanam historiam Graeco sermone conscripsit (4) et Q. Valerius Antias, qui Annales inde a Roma condita usque ad tempora Syllae confecit, cujus tamen fides suspecta Livio fuit, utpote in augendo intemperantis et immodici (5). Praeterea Clo-

(1) Liv. lib. 26. c. 23.

(2) Liv. lib. 7. c. 3.

(3) Liv. 23. cap. 6.

(4) Livius lib. 39. cap. 52. Cff. Athen. IV. p. 168. de hoc etiam C. Vellejus Paterculus lib. 2. cap. 13. „Vir fuit, „non saeculi sui sed omnis aevi optimus idemque doctis„simus."

(5) Livius lib. 26. cap. 49. lib. 37. cap. 50. lib. 32. cap. 6. lib. 28. cap. 46. et lib. 36. cap. 38. et lib. 33. cap. 10.

Clodius Licinius, cujus librum tertium Rerum Romanarum attingit Livius in lib. 29. cap. 22. et Claudius quidam, quem lib. 25. cap. 39. scribit Annales Acilianos e Graeco in Latinum sermonem vertisse itemque P. Calpurnii Pisonis Consulis Annales. Videntur hi, praecipui esse fontes et auctores quos Livius secutus est et e quibus Historiam suam conscripsit.

Neque omittendus est

VALERIUS MAXIMUS,

auctor operis praeclari, cui titulus, « *Factorum dictorumque memorabilium libri novem ad Tiberium Caesarem Augustum*," quo regnante Romae vixit. In hoc opere multa memoratu dignissima refert, ad quae ex optimis ut videtur Historicis collecta, quatenus ad Varronem spectant, lectores relegare non dubitavimus; Neque silentio praetereundus est

SILIUS ITALICUS,

qui Consulatum gessit sub Nerone anno 68. post Christum. Carmen enim Epicum Silii de bello Punico II, sedecim libris absolutum magna fide Historica compositum est, ita scilicet Plinius (1), « Silius scribebat carmina majori cura quam inge« nio." Pleraque eorum quae memorat Livio debet, cujus vestigiis potissimum insistit, cujusque an-

(1) Plinius, Epist. III. 7.

auctoritate plerumque in narrationis ordine et ratione nititur; difficillimum autem est, singulos auctores enumerare et statuere, a quibus Livius sua sumserit, cum Polybii quinque priores libri, tantum ad pugnam Cannensem pertineant caeterique auctores magis compendium quam historiam horum temporum confecerint.

Non minorem quam praecedentes scriptores utilitatem nobis attulit

PLUTARCHUS,

in vitis ad bellum Punicum II spectantibus, nempe Fabii Maximi et Marcelli, in horum vitis mores et ingenium Aemilii Paulli, C. Terentii Varronis atque Fabii Maximi nobis accurate et luculenter depinxit, vir gravi auctoritate in disciplinis, ut ait Gellius (1). In his vitis conscribendis praesertim usus est Plutarchus Polybio (2), in vita vero Marcelli ipse nobis indicat fontes narrationum. E Graecis scriptoribus Polybius, Posidonius (3) et Juba, qui filius Regis Mauretaniae fuit cujusque historia Romana Graece scripta Ῥωμαικαὶ Ἱστορίαι magni pretii fuerunt (4). E Romanis Livius, Cornelius Ne-

(1) Gellius Noct. Att. lib. 4. cap. 11.

(2) Plut. in vita Aemilii Paulli cap. 15. 16. 19. et Catonis Majoris cap. 10.

(3) Plut. in vita Aemilii Paulli cap. 19. 20. 21.

(4) Vid. Vossius de Hist. Graec. II. 4.

Nepos, qui item Marcelli vitam conscripserat, Valerius Maximus et Fabius Pictor. Praeter hos cognovit Valerium Antiatem, de quo ad Livium mentionem fecimus (1).

APPIANUS,

qui Romae vixit sub Trajano, Hadriano et Antonino Pio, reliquit nobis inter multos alios libros, librum cui titulus est Ἀννιβαϊκή seu Bellum cum Hannibale gestum, in quo nobis diversas clades Romanorum tradit atque pugnam Cannensem describit. Verosimiliter plurima e Livio et Polybio desumsit aut iisdem fontibus quibus illi usus est (2).

VELLEJUS PATERCULUS

multum fortasse nobis profuisset, sed inde a raptu virginum Sabinarum ad bellum in Macedonia gesturum Historiae jacturam dolemus (3).

Quid

(1) Vid. Plut. in vita Flaminini cap. 18 et 20. ubi etiam Livius recensetur. In capite 30. vitae Marcelli citatur Posidonius, ut etiam in capite 9. Cff. in vita Marcelli caput 24. et comparatio Pelopidae cum Marcello, ubi fontes indicantur, a Plutarcho adhibiti in scribendis vitis suis.

(2) Multa, quae ad hoc bellum Hannibalicum spectant e Q. Fabio Historico hausisse videtur, citat enim illum in lib. 7. cap. 27. Polybii mentionem facit in lib. 8. cap. 32 de Rebus Punicis. ubi dicit καὶ τάδε μὲν Πολύβιος αὐτὸς ἀκούσας συγγράφει.

(3) Vid. Velleji Paterculi lib. 1. cap. 8.

Quid causae sit, cur Justinus in Historia sua inde a Nino ad Caesarem Augustum hanc partem historiae Romanae non attigerit, mirum alicui videatur. Fortasse autem hujus partis historiae nullam mentionem facit, quia propositum Justini non erat, de historia Romana scribere, nam Breviarium quasi confecit ex libris Trogi Pompeji, quibus titulus erat « *Historiae Philippicae et totius mundi origines et terrae situs*," aut fortasse excerpsit tantum ea quae minime nota credebat, atque id, quod hanc partem historiae respiciebat non necesse putavit, quo minus excerperet, quippe jam permultis ab historicis descriptum (1).

Quod ad reliquos auctores attinet, quos in conscribenda vita Varronis adhibui, Florum, Aurelium Victorem, Eutropium, Jornandem aliosque, hi magis historiam Romanam in compendium redigere quam exponere conati sunt, et multitudinem non gravitatem testium augent et quo remotiores fuerint ab illis temporibus, alter alterum secutus esse videtur, quamobrem, eo minorem fidem iis habendam esse censeo, quo magis abfuerunt ab hoc bello Punico II.

(1) Cf. Heerenius, de Fontibus Justini.



PARS

# PARS SECUNDA.

## DE STATU CIVITATIS ROMANAE, QUO TEMPORE VARRO AD REM PUBLICAM ACCESSERIT.

Quod vulgo populis accidit in gloria militari et bellis gerendis unicam laudem quaerentibus, ut nullum alium prae se superiorem aut parem esse patiantur, hoc etiam Romanis accidit. Carthago florebat, urbs Africae amplissima, mercatura et opibus potentissima nec minus bellica laude et victoriis clarissima; Praeter oras Africae, Hispaniam, quin imo Siciliam in vicinitate Romae Romanorumque tenebat, et horum libertati imminere videbatur. Hoc non ferendum erat Romuli progeniei, nihil igitur a primis inde temporibus aliud molita est, quam ut quibuslibet rationibus quamcunque aemulam civitatem armis subigeret ita ut effatum Catonis seriori tempore prolatum. « Et cen« seo Carthaginem esse delendam" ab eo inde tempore, quo jam valere coeperat Res Publica, animo cujuscunque civis impressum esse videretur. Hinc lites et controversiae, hinc bella tracta et gesta, tandem in internecionem Carthaginis finita.

Jam

Jam haec ambitio et alterius alteri suspecta potentia caussa fuerat belli Punici I. cui bello occasionem dabant Mamertini (1), qui Romanos in auxilium vocaverant adversus Carthaginienses; Pax viginti quatuor annos post duris conditionibus Carthaginiensibus concessa (2), magis magisque eorum animos adversus Romanos incenderat, quum urgeret populum nobilem et superbum Sicilia, Sardinia amissa et imperata tributa. Requies itaque quadriennii, quae exceperat bellum Punicum I. magis armorum induciae erat, in quibus Carthago quaereret occasionem sese ulciscendi, quam revera pax, non mirum igitur, quum Hannibal qui puer in ultionem injuriae patriae suae allatae ad aram juraverat, se hostem semper fore populo Romano (3), copiis Carthaginiensium praeesset, novum bellum exoriri. Fortis ille juvenis, nunquam immemor juramenti patri suo dati, nil aliud ob oculos habebat, quam qua ratione Romanos nomini et genti suae inimicissimos labefactare imo perdere posset. Virili animo juvenis vir factus, senili prudentia cogitata perfecit.

Saguntum urbs Hispaniae, quae in fide et cliente-

(1) Polybius lib. I. cap. 10—16. Zonaras Ann. VIII. cap. 8, 9. Liv. supplem. Freinshem. lib. 16 cap. 26—37.

(2) Polyb. lib. I. cap. 63.

(3) Florus lib. 2. cap. 6. Liv. lib. 21. cap. 1. Appianus Bellum Hannibalicum, Sextus Aurelius Victor in Hannibale Carthaginiensium duce.

tela Romanorum erat, tandem ansam praebuit illi ad bellum Punicum Secundum, (1) de quo recte Livius asseverat, quod, adeo varia fortuna et ancipiti Marte gestum sit, ut si quis conferat damna utriusque populi, similior sit victo populus ille, qui vicit (2).

Saguntum enim contra jus ab Hannibale obsessa auxilium oraverat a Romanis, his vero tempus terentibus deliberando ac legatis mittendis, summa vi oppugnata tandem expugnatur. Infelicissimae urbis excidio Romam nunciato, pudor non lati auxilii et ira in Carthaginienses omnium animos invasit et extemplo legati Carthaginem missi, qui percunctarentur; Publicone consilio Hannibal Saguntum oppugnasset? Responsio a Carthaginiensibus data quum nullo modo Romanis placeret, bellum indictum est (3).

Sed malis ominibus incoeptum bellum est. Roma-

(1) Polybius tres causas hujus belli recenset, primam s. c. Iram Hamilcaris, patris naturalis Hannibalis, qui filium suum coëgit ad aram jurare se nunquam cum Romanis in amicitia victurum, secundam, jacturam Sardiniae et ingentem pecuniae imperatae summam et tertiam, felicem successum Carthaginiensium in Hispania, cf. Polyb. lib. 3. cap. 8. de caussis belli Punici Secundi, Appianus de bello Hannib. Aurelius Victor in Hannib. et Florus lib. 2. cap. 6.

(2) Liv. lib. 21. cap. 1. cf. Jornandes de Regni Successione lib. 1.

(3) Livius lib. 21. cap. 18. Polyb. lib. 3. cap. 20. Silius Italicus, Carmen de Bello Punico Secundo lib. II. versu I. et lib. II. v. 376—390. Polyb. lib. 3. cap. 33. Eutropius lib. 8. cap. 8.

manos deseruisse avita victoria videbatur, nec mirum, aetate juvenis, consilio senex, omniumque barbarorum fortissimus et callidissimus (1) quemque nescio an omnibus anteponam, adversus Romanos in aciem descendebat, Hannibal, Hamilcaris filius, qui quotiescunque cum Romanis congressus est in Italia, semper fere superior discessit, qui, nisi domi civium suorum invidia labefactatus fuisset, Romanos videretur superare potuisse et, veluti hereditate relictum odium paternum erga Romanos sic confirmaverit, ut prius animam quam id deposuerit (2). Hannibal jam invadens Italiam, variis certaminibus profligat Romanos, mox Hanno frater vincit Gallos Romanorum socios apud Rhodanum flumen, transitum impedire conantes (3), et Scipio non longe post in certamine apud Ticinum sauciatur (4).

Dum

(1) Polyb. lib 3. cap. 15. qui sequens testimonium de Hannibale fert, ὁ δ' Ἀννίβας, ἅτε νέος μὲν ὢν, πλήρης δὲ πολεμικῆς ὁρμῆς, ἐπιτυχὴς δ' ἐν ταῖς ἐπιβολαῖς, πάλαι δὲ παρωρμημένος πρὸς τὴν κατὰ Ῥωμαίων ἔχθραν.

(2) C. Nepos in vita Hannibalis, tradit, Hannibalem fere semper superiorem discessisse, victus autem est Hannibal apud Nolam, quod diserte asseverat Livius lib. 23. cap. 46. Florus lib. 2. cap. 6. Cic. de claris Oratoribus cap. 3.

(3) Polyb. lib. 3. cap. 43. Nepos in vita Hannibalis, Liv. lib. 21. cap. 37.

(4) Plinius hoc ad Trebiam amnem accidisse narrat, ad Ticinum vero Liv. lib. 21. cap. 39. Polyb. lib. 3. cap. 64.

Val.

Dum bellum ita infeliciter a Romanis terra gerebatur, secundiori fortuna mari usi sunt, magna enim pars triremium a Carthaginiensibus ad depopulandas oras Italiae missarum ab Hierone Rege Siciliae capta, Messaniam deducta, classisque Carthaginiensium, cujus praecipue cura erat Lilybaei occupandi a Romanis, Sempronio Consule, victa atque fugata est (1); non vero diu Romani hisce victoriis gaudebant, Sempronius enim Consul qui opem laturus Scipioni ex Sicilia venerat, ad Trebiam flumen profligatur (2), donec tandem Carthaginiensis superatis Apenninis in Etruriam venit, ubi Flaminius Consul, homo temerarius, victoria in priori consulatu a Bojis reportata superbiens, insidiis ab Hannibale circumventus ad Thrasymenum lacum, quamvis fortissime dimicans cum exercitu caeditur (3).

Nun-

Val. Max. lib. 6. cap. 4. de pietate in parentes. Silius Italicus lib. IV. v. 454. Orosius Hist. lib. 4. cap. 14. Florus lib. 2 cap. 6. Aurelius Victor in vita Hannib. C. Nepos vero refert hoc ad Padum flumen fuisse, in vita Hannib. cap. 4.

(1) Liv. lib 21. cap. 50.

(2) Liv. lib. 21. cap. 56. Polyb. lib. III. cap. 74. Jornandes de Regni Success. lib. I. Aurel. Vict. in Hannib. Eutropius lib. III. cap. 9. Florus lib. II. cap. 6. Plut in vita Fabii Maximi et Silius Ital. lib. 4. v. 630.

(3) Plut. in Fab. Max. cap. 3. dicit τὴν καλουμένην Θρασυνίαν λίμνην; Polybius vero τὴν Ταρσιμένην καλουμένην λίμνην. Cf. etiam Liv. lib. 22. cap. 7. Florus lib. 2. cap. 6. Eutropius lib. 3. cap. 9. Orosius lib. 4. cap. 14. Aurel. Vict. in Hannib. Cic. de Divin. lib. I. cap. 35.

Nunciata hac clade Romam, populus Romanus adventu exercitus Hannibalis perterritus, (via enim Romam ei nunc patebat), persuasusque quam in tali rerum conditione opus esset gravi Imperio, viroque qui Rem severe et intrepide administraret, urgente necessitate ad ultimum remedium confugit, ad Dictatorem scilicet dicendum; Consule vero absente, a quo uno dici poterat (1), populus, quod nunquam antea, Prodictatorem creavit Q. Fabium Maximum (2) et M. Minucium Rufum, Magistrum Equitum (3), quibus simul a Senatu negotium datum est, « ut muros turresque urbis firmarent et « praesidia disponerent, quibus locis videretur « pontesque rescinderent fluminum, cum Poenis « pro urbe dimicandum esse, quando Italiam tueri « nequivissent (4). " E quo mandato Senatus apparet, ad quasnam angustias eo tempore Roma redacta fuerit, imo parum abfuit, quin Res Romanae ad desperationem essent redactae nisi unus adfuisset Fabius, ille enim non solum in aciem adversus Hannibalem descendit, verum etiam semper

(1) Cn. Servilio Consuli, qui in Gallia provincia erat, jus fuit dicendi Dictatorem cf. Livius lib. 22. c. 31.

(2) Polyb. lib. 3 c. 87. Liv. lib. 22 c. 8. Plut. in vita Fabii c. 4. Appianus de Bello Hannib.

(3) Plut. in vita Fabii eum vocat Λεύκιον Μινούκιον Livius autem et Polybius aliique scriptores habent Marcum Minucium.

(4) Sunt verba Livii, quae hic retuli, cf. porro Liv. lib. 22. c. 8.

per sese illi objecit et callidissimum ducem cunctando ita fregit, ut Rem Publicam ab interitu servavisse dici posse videatur (1).

Fabius autem exacto Semestri Imperio, Dictatura se abdicavit (2) Consulesque M. Atilius Regulus et Cn. Servilius Geminus, exercitu accepto summa inter se concordia Fabii rationem secuti, bellum gesserunt (3). Prorogatum his consulibus est

(1) Hinc canit Silius Italicus in lib. 7.
Interea trepidis, Fabius spes unica, rebus.
Ille quidem socios atque aegram vulnere praeceps
Ausoniam armabat, viridique ad dura laborum
Bellator senio, jam castra movebat in hostem
Sed mens humana major, nec tela nec enses
Nec fortes spectabat equos, tot millia contra
Poenorum, invictumque ducem, tot in agmina solus
Ibat, et in sese cuncta arma virosque gerebat,
Ac ni sacra seni vis, impressumque fuisset
Sistere fortunam cunctando adversa foventem,
Ultima Dardanii transiisset nominis aetas.
Ille modum Superis in Punica castra favoris
Addidit, et Libyae finem, in prospera bella
Vincendi statuit; tumefactum cladibus ille
Hesperiis, lento Poenorum moderamine lusit.
conf. Liv. lib 22. c. 15. Aurel. Vict. in vita Q. Fabii Maxim. et Ennius apud Cic. lib I. cap. 24. de Officiis.

(2) Occentum soricis auditum Fabio Maximo dictaturae deponendae causam praebuisse, narrat Val. Maximus lib. I. de Religione cap 5.

(3) Liv. lib. 22. cap. 31. Plut in vita Fabii Max. cap. 14. Polyb. lib. 3. cap. 106. mentionem facit Consulum anni prioris Cn. Servilii et Marci Reguli, Silius Italicus vero prae-

est imperium in annum ac tandem interrex a Patribus proditus est P. Cornelius Asina, in cujus interregno ista Comitia acerbissima habita sunt, in quibus Terentius Varro Consul creatus est (1).

Quo accuratius autem res universe cognoscantur pauca dicenda sunt de conditione Rei Publicae hisce temporibus extra Italiam; Romani scilicet, quamvis bellum ingens in cervicibus erat, non solum de salute rerum non desperaverunt sed ne res externas quidem ullo modo neglexerunt, tantus illis erat animus tantaque virtus! In talibus enim angustiis legati missi sunt ad Philippum Macedonum regem, ad deposcendum Demetrium Pharium, qui urbes ditionis Romanae in Illyrico vastaverat multasque incursiones in Cyclades insulas fecerat et bello victus ad Philippum confugerat (2).

Eodem tempore ad Ligures miserunt legatos rogatum, quibusnam rationibus inducti Carthaginienses opibus et auxiliis juvissent, ut etiam ad Pineum Regem Illyriae ad exposcendum stipendium, cujus dies exierat, aut ad expostulandos obsides diem si proferre vellet (3). Est sane hoc lo-

praetermittit hunc biennium consulatum eumque non memorat; Plut. in vita Fabii cap. 14. nomina Consulum non recenset, aliter vero Appianus in lib. 7. cap. 16. de Bello Hannib.

(1) Polyb. lib. 3. cap. 106. Liv. lib. 22. cap. 34.

(2) Livius lib. 22. cap. 33.

(3) Liv. lib. 22. cap. 33.

loco quod miremur Romanorum inconcussam animi constantiam, quamvis enim eos non lateret quibus premerentur periculis, undique oppressam Rem Publicam, civitatem obsessam hostesque gloriantes viderent, tamen eundem animum ferocem gerebant; Res vero maximi momenti hisce temporibus fuit Romanis, quod socii non tantum non desciscerent, sed ut diserte Polybius affirmat (1), fidem suam, auxilium ac copias mittendo ostenderent, Neapolitani enim legatos Romam miserant, insigne fidei documentum praebentes, nam secum afferebant quadraginta pateras aureas, ut hoc modo auxilium tribuerent et benevolentiam suam erga Romanos ostenderent. Eodem modo Paesto Romam venerunt legati pocula ejusdem metalli afferentes, ut pro viribus socios oppressos adjuvarent; his legatis gratiae sunt actae, munera non accepta (2), qua re significare voluerunt, se ipsos non tantum sibi sufficere, vero etiam res suas neutiquam eo perductas esse, ut auxilio alieno indigerent; In eadem fide mansit Hiero Siciliae tyrannus, qui cum jam antea maxima officia Romanis praestitisset insuper pollicitus

(1) Ἕως γὰρ τότε δυσὶ μάχαις ἤδη λελειμμένων αὐτῶν, οὐδεμία πόλις ἀπέστη τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν πρὸς Καρχηδονίους, ἀλλὰ διετήρουν τὴν πίστιν, καίπερ ἔνιαι πάσχουσαι κακῶς. Ἐξ ὧν καὶ παρασημήναιτ' ἄν τις τὴν κατάπληξιν καὶ καταξίωσιν παρὰ τοῖς συμμάχοις τοῦ Ῥωμαίων πολιτεύματος Polyb. lib. 3. cap. 90.

(2) Liv. lib. 22. cap. 32 et 37.

tus erat; « quo animo Primo bello Punico Rem Publicam adjuvisset, eodem se senem adjuturum (1). » Huic etiam Romani in documentum grati animi tanquam amico et socio praecipuo magnam partem praedae a Gallis reportatae dederunt (2); Et revera semper promissis stetit Hiero, nam magna ejus opera in hoc bello fuit, quae si Romanis defuisset, merito verendum fuisset ne tandem succubuissent, Insula praeterea Ilva pro viribus Romanos adjuvit atque funditores Romam misit (3).

Videamus quaenam Romanorum domi fuerit conditio, et quid Romanis praesidio et auxilio esset.

Jam primum Romanis praesidio erat alimenti copia, nulla enim re milites Romani indigebant, a tergo commeatibus abunde subvectis, deinde iis non deerat hominum multitudo, quod facile probari potest numerosis exercitibus, undique tum e suis, tum e sociis in aciem eductis; Hannibal contra omnibus rebus destitutus in diem rapto vivebat, magnaque praeterea parte exercitus fame et fer-

(1) Liv. lib. 21. cap. 50.

(2) Plut. in vita Marcelli cap. 8.

(3) Polyb. lib. 3. cap. 75. Liv. lib. 22. cap. 37. et Silius Ital. lib. 8. v. 614. canens.

Addiderat ter mille viros, in Marte sagittae
Expertos, fidus Sicula Regnator ab Aetna,
Non totidem Ilva viros, sed laetos cingere ferrum,
Armarat patrio, quo nutrit bella, metallo.

ferro consumta cogebatur in hostili et peregrina terra ubivis hostibus circumdatus bellum gerere (1).

Fueritne discriminis ultimi cogitatio, quae eos coegerit Concordiam cogitare atque huic Deae aedem facere, quam biennio ante L. Manlius Praetor in Gallia, in arce faciendam voverat, an vero, ostentatio securitatis cujusdam qua significarent, populum Romanum concordem nulla in re destituturum de magnitudine Imperii atque e quibuslibet periculis salvum emersurum? quidquid sit, in infestissimo bello, securos specie saltem, eos pacis laboribus intentos videmus (2).

Quod autem in quavis civitate maximum haberi ejusque columen facile dixeris, est illa virtus, quam recte *συμφερτὴν ἀρετὴν* dicit Homerus (3), Concordia, hac enim dilapsae res saepe restituuntur, ut opposito vitio maximae et integerrimae dilabuntur. Illa autem virtus penitus defuit in tanto rerum discrimine Romanis! Notum est, quae jam ab antiquissimis inde temporibus discordia Patricios inter

(1) Polyb. lib. 3. cap. 89. Liv. lib. 22. cap. 39. et Plut. in vita Fabii Max. cap. 14.

(2) Liv. lib. 22. cap. 33. Romani enim maximam industriam adhibere solebant periculosissimis temporibus ad Deos sibi faventes reddendos. Cf. quod Polybius de iis scribit lib. 3. cap. 112. *Δεινοὶ γὰρ ἐν ταῖς περιστάσεσι Ῥωμαῖοι καὶ θεοὺς ἐξιλάσκεσθαι καὶ ἀνθρώπους, καὶ μηδὲν ἀπρεπὲς μηδ' ἀγεννὲς ἐν τοῖς τοιούτοις καιροῖς ἡγεῖσθαι τῶν περὶ ταῦτα συντελουμένων.*

(3) Homerus. Iliad. XIII. v. 237.

ter et Plebejos intercesserit. Ut enim Patricii auctoritatis suae tenacissimi erant, sic Plebs libertatis aut si malis licentiae avidissima, Patriciis semper invidebat et quamvis occasionem arripiebat ingenii ostendendi; ut enim Athenis ita et Romae saepe (et ubi non terrarum?)

Procax libertas civitatem miscuit
Frenumque solvit pristinum licentia (1).

quod malum mirum in modum Romae augebatur audacia Tribunorum Plebis, qui saepissime sub specie Rei Publicae bene consulendi, tantum id ob oculos habebant ut privatae utilitati servirent popularibusque artibus nihil fere aliud agebant, quam ut calumniandis et vexandis Patriciis gratiam plebis conciliarent sibique viam ad summos honores sternerent. In eligendis praecipue Consulibus saepissime accidebat ut Plebs aeque ac Patricii suos haberet candidatos, qui Patronorum opinionibus addicti fere semper, (neque aliter fieri hoc poterat) a se invicem dissedebant, id solum intuentes, alter quomodo alterum collabefaceret: qui igitur in tali rerum conditione dissidium Plebem inter et Patricios in diem non cresceret et acerrimos fructus proferret? Hujusce autem rei exemplum habemus in hac ipsa electione C. Terentii Varronis et L. Aemilii Paulli hominum diversissimi ingenii.

Quae-

(1) Phaedrus Fab. lib. I. Fab. 2.

Quaenam porro fuerit discordia et inimicitia inter Plebejos et Patricios iis temporibus satis indicant conciones Tribunorum Plebis tunc habitae, quae Plebem magis magisque contra Patricios incitabant; Acerbissima sane fuit ista concio M. Metelli Tribuni plebis in Dictatorem Fabium Maximum habita, de aequando Magistri Equitum et Dictatoris jure (1). Qualis autem eventus hujus divisionis Imperii fuerit, satis notum, brevi enim post Magister Equitum sponte Imperium abdicavit, postquam paene, copiis suis in summum periculum adductis, ipse a Fabio ab interitu servatus erat (2).

Plebs varia est, et facile aures calumnianti adulatori praebet, quid mirum igitur, quod quum audiret Bibium Herennium Tribunum, publice Consules accusantem, quod bellum traxissent, quum hostem debellare potuissent, maximo odio Patricios habuerit, qui revera nulli rei studerent quam quomodo debellarent hostem patriamque ab interitu servarent.

Haec igitur istis temporibus erat facies Reipublicae Romanae, sive externa sive interna spectes; quid pluribus demonstrem in tali rerum conditione vi-

(1) Polyb. lib. 3. cap. 103. Liv. lib. 22. cap. 25. Plut. in vita Fabii Max. cap. 8. et Silius Italicus lib. 7. v. 510.

(2) Polyb. lib. 3. cap. 105. Liv. lib. 22. cap. 29 et cap. 30. Plut. in vita Fabii cap. 12 et 13. Aurel. Vict. in Hannib. Silius Italicus lib. 8. initio et Val. Maximus lib. 5. de Gratitud. IV.

viro forti, strenuo, diligenti, celeriter quae opus erant invenienti neque minus in rebus gerendis prompto quam in excogitandis, quasi Themistocle altero opus fuisse? Sed eligebatur homo, qui solo Patriae amore et inconsiderato libertatis studio se efficere posse sibi persuadebat, quod summo tantum consilio effici poterat.



PARS

# PARS TERTIA.

## DE VITÁ CAJI TERENTII VARRONIS.

Quod hodie nonnunquam accidit, ut homines ex infima plebe oriundi, aut calliditate aut audacia aut quibusdam artibus ingenii et animi facultatibus sibi viam muniant ad summos in Republica honores, sic et Romae quondam accidisse tum plurium exemplis, tum C. Terentii Varronis discimus.

Cajus Terentius Varro originem suam ducit e Terentia gente Plebeja; illa gens, auctore M. Terentio Varrone (1), Terentia appellabatur a *Tarento*, quod lingua Sabinorum *molle* significat, uti aliae gentes Romanae ab aliqua re aut voce nomen duxere, verbi gratia, Livia gens secundum alios a voce *Livio*, quia plumbei coloris erat, qui primus dictus est *Livius*; Porcia gens a *porcis*, Opimia gens a voce *Opimus*, *pinguis*, ut refert Varro lib. 2. cap. 1. dicens « Nomina multa habe-

(1) Varró ad Libonem I. citante Macrobio Saturnal. lib. 3.

bemus ab utroque pecore, a majore et a minore (1)." Cognomen autem *Varro* significasse *stultum*, eam ob causam putat Cornutus, quia servi militum *Varrones* dicebantur, quod utique erant stultissimi, alii contra putant, vocem *Varro* idem significare, quod *Baro*, litteris B et V propter cognationem mutatis, et sic *Varrones* ut *Barones* pro viris fortibus habendos esse sed videatur Turnebus, De Lege agraria Ciceronis. pag. 14.; Servius porro nobis tradit, secundum Varronem, primum qui Varro dicebatur, ita appellatum, quia in Illyrico bello hostem Varronem nomine ceperat et equitem ad suos pertulerat atque eum insigne ex facto hoc cognomen meruisse (2).

Romae humili loco C. Terentius Varro ortus est; quamvis annus, quo natus sit, in alto scriptorum silentio certo definiri nequeat, attamen, si computemus annos requisitos ad illos magistratus obeundos, quibus Varro functus est, tunc statuere possumus, in annum Urbis conditae circiter 495. ante Chris-

(1) Plura de his, si quis requirat, consulat J. Vaillant in opere, cui titulus est *Nummi antiqui familiarum Romanarum*.

(2) Servius ad Virg. Aeneid. lib. XI. v. 743. Dubitandum autem est hac de re; Varro enim Consul verosimiliter anno U. C. 495. circiter natus, jam nomen Varronis gerebat, Bellum vero Illyricum cum Teuta Illyriae regina gestum est anno U. C. 524. viginti novem ergo annos post C. Terentium Varronem natum. Fortasse igitur Varronem nostrum hoc cognomine insignitum innuit, quamvis nullibi hac de re mentionem factam esse, mihi occurrit.

Christum 260. Cn. Cornelio Scipione et C. Duilio Consulibus, diem ejus natalem incidisse.

Patre usus est ignobili, quippe qui lanius erat atque ipse institor mercis, quod tamen non impedivit, quominus pro sorte sua, sibi quasdam opes congereret, quum moriens filio tantum relinqueret, quo, relicta macellaria patris taberna rebus forensibus operam daret et artes liberaliores excoleret (1).

Praenomen patris *Aulus* fuit, quod confici licet e Denario in Aemilia gente prodito; denarius enim hic ex altera parte praeter alia insignia exhibet nomina amborum consulum Aemilii Pauli et C. Terentii Varronis, ibique patet patrem Varronis Aulum fuisse praenominatum (2).

Multi alii Varrones e Visellia gente aliisque extiterunt; E. Terentia autem gente, e qua Terentius Varro noster, inclaruerunt A. Terentius Varro, fi-

(1) Liv. lib. 22. cap. 26. Plut. in Fabii Max. cap. 14. Valer. Max. lib. 3. cap. 44. Silius Italicus Punic. lib. 8. v. 246. canens.

Atque illi sine luce genus, surdumque parentum
Nomen; et immodice vibrabat in ore canoro
Lingua procax.

(2) Quum Varro cum Aemilio Paulo consul eligeretur, cusi sunt hi denarii ex Senatusconsulto, pro ingenti apparatu hujus belli Punici II; in his denariis nomina Consulum et sella Curulis et in anteriori parte Fides, ut s. c. Romani juramenti essent tenaces, erant cusa. Cf. Vaillant, Nummi antiqui Familiarum Romanarum Tom. II. pag. 466.

filius qui nostri Varronis videtur fuisse ut confirmant Tabulae Triumphales, et qui avi Auli Terentii Varronis praenomen gessisse existimatur; hic Hispaniam Citeriorem Consul sortitus anno Urbis 569. feliciter contra Celtiberos rem administravit atque ovans urbem intravit (1), qua occasione multum aurum et argentum aureasque coronas (e quibus denarii ad remunerandos ovationis comites cusi) transtulerat (2).

Doctissimus insuper ille, qui clarissimum nomen sortitus est et a Cicerone πολυγραφώτατος (3) nuncupatur, M. Terentius Varro ex hac gente originem traxit; hunc tradunt fuisse nepotem C. Terentii Varronis (4) Consulis, quamquam Varro ipse hoc nullibi affirmat, confiteri fortasse nolens, sese esse nepotem istius viri, qui paene patriam suam in perniciem adduxerat; Fuit hic Varro ille doctissimus Ciceronis aequalis, qui bello Piratico sub Pompejo militans, nomine Proquaestoris, navali corona donatus est (5). Praeter hos nobis occurrit A. Terentius Varro Murena, qui in Terentiam

(1) Liv. lib. 39. cap. 56. lib. 40. cap. 16.

(2) Liv. lib 40. cap. 16. Vaillant in op. Nummi antiqui Famil. Rom. Tom. II. pag. 466, et Pighius Annal. Rom. lib. 10.

(3) Cic. in Bruto cap. 56.

(4) Simson, Chronicon Catholicon, assentiente Wesselingio, nullum tamen testem afferens.

(5) Appianus, de bello Mithridatico cap. 95. et Vaillant opere laud.

tiam familiam adoptione e Licinia gente transierat cui Murena cognomen familiare erat (hujus saepius Cicero mentionem facit in Epistolis ad Diversos (1) et Pighius illum inter quaestores Provinciales recenset) filiumque habuit, qui sub Augusto Salassos vicit et postea Consulatum adeptus est. — M. Terentius Varro Lucullus e Licinia gente in Terentiorum familiam transierat et frater minor erat L. Licinii Luculli, quocum Aedilis Curulis factus est, hic primum scenam versatilem fecit (2) et deinde Consul creatus cum Cassio Varrone anno U. C. 680. legem frumentariam tulit, quae ab illis lex Terentia Cassia dicta est (3).

Denique apud Ciceronem occurrit M. Terentius Varro Gibba, quaestor Bruti Praetoris in Gallia Cisalpina (4).

Hi jam praecipui videntur fuisse Varrones, qui e Gente Terentia inclaruerunt, videamus de C. Terentio Varrone cujus vitam describendam suscepimus.

Quamvis eo tempore, quo Varro natus est, Romae nondum florerent artium liberalium studia, inprimis tamen liberorum recte educandorum habebatur ratio. Post domesticam educationem, li-

(1) Cic. ad Diversos XVI. 12. XIII. 22.

(2) Plin. Hist. Nat. lib. VIII. cap. 7. Valer. Max. lib. 2. cap. 4. 6.

(3) Cic. in Verrem cap. 7.

(4) Cic. ad Diversos XIII. Ep. 10.

liberi mittebantur in ludos literarios, qui in foro in tabernis erant (1), in quibus plures unius curae mandabantur atque a magistris scientiarum peritis formabantur; Exemplum ejusmodi institutionis habemus jam apud Faliscos et nota Historia est magistri, qui principum civitatis liberos in potestatem Camilli tradebat (2), alterum exemplum nobis exhibet Livius tradens, Camillum, urbem ingressum Tusculanorum audiisse ludos literarum strepentes discentium vocibus (3); sic etiam legimus filiam L. Virginii, cum nutrice in forum prodeuntem a M. Claudio, Appii Claudii cliente in servitutem assertam esse (4); An vero C. Terentius Varro in hosce ludos literarios ventitaverit atque ita artibus liberalibus, quales tunc temporis erant, institutus sit, est quod valde dubitemus, credendum potius est, patrem sibi filium in sua victus quaerendi ratione destinavisse successorem nec altiora spiravisse, teste enim Livio, pater lanius filio in servili suae artis ministerio usus est.

Mortuo patre juvenili adhuc aetate erat, sed admodum dives paterno quaestu, vigilantia et parsimonia (5). Quid mirum, adolescenti opulento mul-

(1) Liv. lib. 3. cap. 44. Dion. Halicarn. Archaeol. Rom. lib. 11.

(2) Liv. lib. 5. cap 17.

(3) Liv. lib. 6. cap. 25.

(4) Liv. lib. 4. cap. 44.

(5) Liv. lib. 22. cap. 26.

multo magis forum et togam placuisse, quam abjectioris conditionis munera? Hinc verosimiliter ut tunc mos erat (1), sese oratori alicui dedit, qui tunc principem in civitate locum tenebat, ut ita statim eloquentia imbueretur et omnes patronos in plurimis et causis et judiciis cognosceret, haberetque ipsius populi diversissimarum aurium copiam, ex qua facile deprehenderet, quid in quoque vel comprobaretur vel displiceret; plurimum enim oratorum intererat scire, quale populi judicium et sensus esset; Varronem ad populi absconditissima cogitata penetravisse illique artes quibus excitari et in diversas partes trahi posset, non incognitas fuisse, hujus rei in sequenti vita plura specimina edidit.

Quamquam nullus auctor mentionem de Varrone facit, antequam praetor factus sit, neque ejus stipendia quae meruit aut saltem merere potuerat memorat, certum nihilominus est, Varronem non secus atque alios inde ab anno aetatis decimo septimo militasse, Romanis in unoquoque liberaliter instituto militarem disciplinam requirentibus.

Inde saltem ab anno aetatis decimo septimo ad quadragesimum sextum ad stipendia cives Romani cogi poterant nec quemquam ad Magistratum ullum urbanum eligi fas erat, nisi qui decem stipendia fecisset (2), Varro igitur honoribus iis, quos Li-

(1) Dialogus de claris oratoribus seu de causis corruptae eloquentiae cap. 34.

(2) Polyb. lib. 6. cap. 17. Liv. lib. 42. cap. 34. Huc etiam

Livius et alii auctores recensent, functus, sine ullo dubio stipendia meruit. Si igitur statuamus Varronem natum esse anno Urbis Conditae 495. ante Christum 260. Cn. Cornelio Scipione Asina et C. Duilio consulibus, sub quorum consulatu Carthaginienses primum mari a Romanis victi sunt, verosimiliter jam miles finem Belli Punici istius vidit, quo Carthaginienses totam Siciliam amiserunt; tres annos post bello Illyrico Teutae reginae a Romanis justissimas ob causas indicto, fortasse Varro interfuit (1) eo enim tempore annum aetatis vigesimum nonum agens, absque dubio militavit et in hoc bello noster Varro fuit, (si fides habenda sit Varroni Grammatico,) qui teste Servio (2) hostem Varronem capiendo sibi cognomen Varronis meruisset, hac de re autem ob causas supra jam allatas, est, quod jure dubites. Feliciter hoc bello a Romanis finito, novum cum Gallis exortum est, de quibus Marcellus Consul, occiso eorum duce Vi-

etiam spectat locus Plutarchi in vita Gracchorum, quo loco Gracchus demonstrat, se jam militasse per duodecim annos, quum alii tantum militarent per decem. In stipendiorum autem annis variatum videtur, pro diversis temporibus, qui enim casu quodam seu morbo impeditus stipendia sua non confecerat ad quinquagesimum annum usque cogi poterat. Vid. Seneca de Brevit. vitae Cap. ult.

(1) Vid. de hoc bello Polyb. lib. II. cap. 8. Plin. lib. 34. cap. 11.

(2) Servius ad Virgil. Aeneid. lib. XI. v. 743.

Viridomaro triumphavit (1), huic etiam bello Terentius Varro interesse potuit, quamvis nullibi de illo mentio fit. — Jam pervenimus ad bellum illud Punicum Secundum memorabile inconsiderata virtute Varronis et clade internecina exercitus Romani, omnia vero quae de Varrone milite, excepto ejus imperio Cannensi afferre possumus, probabili suspicione tantum nituntur, argumentis autem carent.

Sub Dictatura Fabii Maximi non militasse Varro videtur, Romae vero degisse, quum M. Metilius Tribunus Plebis populo conaretur suadere, quod Dictator obstaret rei bene gerendae et hanc ob causam rogationem promulgaret de aequando Magistri Equitum et Dictatoris jure. Hac occasione primum Livius mentionem injicit de C. Terentio Varrone, nemine scilicet sententiam suam dicere audente de rogatione Metilii, Varro unus disertus suasor extitit (2); Consulto hic ejus dicendi facultatis mentionem facimus, infestius enim quam verius Livius ubicunque eum describit, « non tam « oratorio more ac stylo causas agentem quam ra- « bulae instar vociferantem et bonis viris quasi al- « latrantem" unde vero iniquam talem sententiam tulerit Livius, facile unicuique patebit, qui consideraverit, Historicum hunc Patriciorum et Optima-

(1) Polyb. lib. II. cap. 23 — 35. Liv. Epit. lib. 20. Plut. in vita Marcelli cap. 4 — 7. Eutrop. lib. 3. cap. 2.

(2) Liv. lib. 22. cap. 26.

matum partibus faventem non laudare potuisse hominem nobilibus infestum et ubique partes plebis sequentem. Mirum sane foret, Varronem inde a juventute eloquentiae intentum et cui teste ipso Livio forum et toga placuerant (1), nihil oratoriae artis assecutum esse, nihilque utilitatis traxisse in sese formando, nam quamvis fortasse concedi possit, nostrum non illa subtili et polita ratione dicendi instructum fuisse, quae proficiscitur ex accurato et continuo praeceptorum oratoriae artis studio, attamen lubentes Ciceronis judicio calculum adjicimus, qui Varronem cum Catone aliisque claris oratoribus eorum temporum enumerando, ei saltem titulum oratoris non denegare videtur (2). Etsi igitur non eloquentem tamen disertum (3) nobis fingimus Varronem eaque dicendi naturali facultate insignem, qua commoveret animos popularium suorum et in suas partes traheret quoquo vellet; ad hanc disserendi facultatem accessit audacia et temeritas, quibus fretus omnia dicere et suadere audebat, Metilii Tribuni Plebis enim rogatione promulgata de qua supra diximus, omnes Quirites tacebant, veriti quamvis valde iis placeret rogatio, aliquid detrahere de Dictatorio jure, Varro autem unus audaci oratione rem eo per-

(1) Liv. lib. 22. cap. 26.

(2) Cic. in Bruto cap. 19.

(3) De *diserti* et *eloquentis* differentia vid. Cic. Orat. I. cap 21. cf. Quinctil Orat. lib cap. 8. in prooemio.

perduxit, ut Plebiscitum ferretur, de quo nemo ante eum ne cogitare quidem ausus erat, rogans, ut Magister Equitum eamdem ac Dictator potestatem haberet; Varronis temeritas magis magisque conspicitur si cogitemus potestatem Dictatoris, quam Dionysius Halicarnassensis merito αἱρετὴν τυραννίδα vocat (1), plane: quippe regio munere Dictator fungebatur imo regia potestate majorem habebat! Ne vero dicamus Metilii audaciam adhuc Varronis majorem fuisse, nam Tribunus Plebis quamvis Dictator crearetur suam auctoritatem imminutam retinebat (2), hic contra homo e plebe, privatus, aut si mavis fere nullus erat. Haec etiam ejus disserendi facultas cum temeritate conjuncta, causa fuit, ob quam ad Consulatum postero tempore pervenerit, semper enim in concionibus nobiles increpans et lenocinio verborum plebem sibi alliciens omnium identidem oculos in se convertit, quippe qui talis multitudini videretur, qui aliquando fortiter jura sua tueretur et libertatem defenderet contra quamlibet optimatum aggressionem; At utinam valuisset in Rei Publicae salutem Aemilii Paulli votum, « ut cui tam prompta et temeraria lingua erat, aeque in pugna vi-

(1) Dionys. Halic. Antiq. Rom. lib. V. cap. 73.

(2) Plut. in Fabii vita cap. 4. Polyb. lib. 3. cap. 87. Contra Tribuniciam potestatem interdum nihil valebant Dictatores cf. Livius lib. 8. cap. 38. et lib. 7. cap. 4.

« vigerent manus (1)." Ex his jam satis apparet, qualem vim eloquentia sua in animos vulgi exercuerit, cui eloquentiae etiam debebat omnes illos honores, quibus postero tempore functus est.

Plures magistratus ab illo gesti a Livio recensentur (2), quo anno Quaesturam, primum gradum ad amplissimos in Re Publica honores capessendos gesserit, non apparet, quum vero ad quaesturam requireretur aetas viginti quinque annorum (3) forte 30 annos natus illud munus obiit, adeoque anno Urbis C. 525. ante Christum 230. Sp. Carvilio et Q. Fabio Maximo Consulibus (4). Post quaesturam duabus Aedilitatibus functus est, Plebeja scilicet et Curuli (5), Aedilis Plebis factus est C. Flaminio et P. Furio Consulibus anno Urbis C. 530. ante Chr. 225. (6) Tres annos post hanc Aedilitatem, Aedilis Curu-

ru-

(1) Liv. lib. 22. cap. 38 et 44. Plut. in vita Fabii Maximi cap. 14. et Silius Italicus lib. 8. v. 247. de Varrone sequens testimonium ferens.

Atque illi sine luce genus, surdumque parentum
Nomen, et immodice vibrabat in ore canoro
Lingua procax: hinc auctus opes, largusque; rapinae
Intima dum vulgi fovet, oblatratque Senatum,
Tantum in quassata bellis caput extulit urbe,
Momentum ut rerum, et fati foret arbiter unus:

(2) Liv. lib. 22. cap. 26.
(3) Justus Lipsius de Magistr. Rom. cap. 5.
(4) Vid. Pighius Ann. Rom. lib. 8. p. 112.
(5) Liv. lib. 22. cap 26.
(6) Pighius Ann. Rom. lib. 8. p. 125.

rulis factus est M. Aemilio Lepido et Valerio Laevino Css. anno Urbis 533. ante Chr. 222. (1).

In Aedilitate Curuli ludos Circenses habuit (Aedilium enim Curulium officium inter caetera fuit, ludos sacros et solennes instituere, in quibus elegantissime faciendis praecipua tum laus spectabatur) (2) at vero sanctam religionem violatam ab illo hac occasione ferunt, nam in Jovis Optimi Maximi templo eximia facie puerum histrionem ad excubias tenendas posuerat, (histriones autem habebantur infames (3)) quapropter etiam hoc factum post aliquot annos in memoriam reductum, sacrificiis expiatum est (4). — Haec consideranti cuique palam fiet, reverentiam Deorum sanctaeque Religionis parvi ponderis fuisse apud Varro-

(1) Pighius Ann. Rom. lib. 8.

(2) Cic. de Legibus lib. III. cap. 3. Suntoque Aediles Curatores Urbis, annonae, ludorumque solennium, illisque ad honoris amplioris gradum is primum adscensus esto.

(3) Vid. ff. lib 3. Tit. 2. l. 1. in Edicto Praetoris, cf. Valerius Max. qui lib. I. cap. I. 16. hanc ob causam Varronem ab Hannibale victum esse dicit, quod affirmat Lactantius Instit. lib. II. de Origine Erroris cap. 16.

(4) Valerius Max. lib. I. cap. I. N. 16. et Lactant. Instit. lib II. de Orig. Erroris cap. 16. Hanc etiam forte ob causam Juno a Silio Poëta inducitur, excitans Hannibalem a Fabio fractum et de relinquenda Italia cogitantem, ad proelium Cannense committendum cf. Silius lib. VI. v. 202 — 226.

ronem, qui potius quae sanctissime habebantur rideret.

Praetor deinde factus est anno Urbis 535. ante Chr. 217. P. Cornelio Scipione et F. Sempronio Longo Consulibus, quamnam autem Praeturam gesserit Peregrinam an Urbanam, non traditur, eum vero Praetorem Urbanum fuisse memorat Sigonius (1) et hoc ut mihi videtur recte, reliquorum enim trium Praetorum hujus anni provinciae quum sigillatim a Livio memorentur, Praetura tantum Urbana residua manet, quam ideo a Varrone gestam esse, statui potest. (2) Quantopere jam nunc gratiam populi, cum jam custos Juris Quiritium esset (3), hocce suo munere recte obeundo sibi conciliare potuit! quamnam vim et potentiam in vulgus exercere et quam facilem gradum ad Consulatum sibi reddere in hoc Praetorio munere recte Jus dicendo, supplendo et corrigendo? Ne miremur ideo quod omnibus his honoribus ornatus, jam ad consulatum spem attolleret, praesertim quia ad hanc peropportunam occasionem illi offerebant magnae discordiae illis temporibus inter Plebejos et Patricios Romae extantes.

Exacto nempe semestri imperio Fabii Dictatoris qui

(1) Car. Sigonius in Scholiis ad lib. 22. Livii. cf. Pighius Ann. Rom. Tom. IX.

(2) Pighius Ann. Rom. Tom. IX.

(3) Sic Praetores a Cicerone vocantur in lib. III. de Legibus cap. 3.

qui optime rem adversus Hannibalem gesserat maximaque officia patriae suae praestiterat, M. Atilius, qui Flaminio Consuli ad lacum Thrasymenum caeso, successerat et Geminus Servilius exercitum a Fabio acceperunt et re admodum feliciter adversus Carthaginiensem gesta, iis in annum propagatum imperium est (1). Proditus deinde a Patribus interrex est C. Claudius Ap. filius Centho quem excepit P. Cornelius Asina (2), in cujus interregno comitia illa magno certamine Patriciorum et Plebejorum habita sunt de eligendis Consulibus, maximi enim momenti erat, ut eligerentur Consules, rerum bellicarum periti, fortes et strenui, hoste pertinaci et bellicoso in Italia omnia vastante et Romae obsidionem minante; Discordia illa quae inter optimates et populum erat, magis magisque excitabatur orationibus Q. Baebii Herennii cognati Terentii et Tribuni Plebis, nobiles increpantis et criminantis, quod fraude bellum traherent illudque initio in Italiam accersissent ad opprimendam Plebem (3).

Prae-

(1) Plut. in Fabio Max. cap. 4. Liv. lib. 22. cap 31. Biennium Consulatum M. Atillii et Gemini Servilii Silius Ital. ut fere etiam Polybius lib. III. cap. 106. silentio praetermittit, Polybius contra nominat Consules Cn. Servilium et M. Regulum lib. III. cap. 106.

(2) Livius lib. 22. cap. 34.

(3) Plut. in vita Fabii Maximi cap. 8. Liv. lib. 22. cap. 34. Cf. Justus Lipsius de magnit. Rom. lib. 4. cap. 5. « *Adderem modestiae laudem, et reverentem Senatus et*



« *pro-*

Praevideri facile poterat, Plebem talibus orationibus incensam suae factionis hominem Consulem creaturam, qui scilicet claudicantem Rem Publicam restitueret hostemque quo die vidisset, profligaret, qui verbo salutem et pacem patriae suae redderet. Et quemnam virum praestantiorem et digniorem potuisset Consulem creare, quam C. Terentium Varronem, ubicunque et quovis modo insectatione principum popularibusque artibus Plebi carissimum et semper ab ejus partibus stantem?

Neque exitus Plebejos fefellit, licet enim quinque simul consulatum peterent, inter quos tres Patricii; licet Patricii summa ope niterentur, ut nulli novo aliquis magistratus mandaretur, licet omnes vires intenderent ad Varronem depellendum, tamen Comitiis habitis populi consensu Consul creatur Varro Plebejus, brevi demonstraturus, non talem se futurum, qualem coeca mente Plebs speraverat et exemplo probaturus hominem sui plenum vulgo consilli expertem esse (1).

Jam

*« procerum suorum populum, nisi Tribuniciae interdum « procellae turbassent, quam ego pestem unicam et labem « reperio in Re Romana."*

(1) Polyb. lib. 3. cap. 106. Plut. in Fabii Max. cap 14. Liv. lib. 22. cap. 34. Appianus Bellum Hannib. cap. 17. Orosius lib. 4. cap. 16. cff. Fasti Capitolini et Siculi; a Polybio appellatur C. Terentius, Orosius vero et Eutropius perperam illum P. Terentium Varronem vocant, et volunt praeterea illum consulem creatum esse anno Urbis 540. Cf. etiam Pighius Ann. Rom. lib. IX. qui recte annum Urbis 537 statuit.

« Jam nunc in manibus Varronis erant Comitia rogando collegae, Patrum autem nihil magis intererat, quam dari collegam prudentem et peritum Varroni seditioso et temerario, calliditate et sollertia sua omnia apud populum valenti. Omnem igitur nobiles operam dabant (jam experti quam parum essent virium in competitores) ut L. Aemilius Paullus Consul alter crearetur (1), qui etiam proximo comitiali die Consul creatus est (2), merito enim Patres timebant, ne Varro populi amicus omnia temeritate et audacia sua perderet persuasumque sibi habebant instans periculum unice depelli posse collega, prudenti et constanti.

Ut vero Varro fortunae ludibrio ad fastigium, consulatum pervenit, superbiens illico ostendit se imperitia et praecipitantia aleam jacturum de summa rerum (3), necessitas enim ad exercitum proficiscendi instabat, (urgebat enim magis magisque vic-

(1) Hic Consul fuerat cum M. Livio et bellum gesserat adversus Illyricos, finito autem bello et exacto eorum magistratu apud populum accusatus erat, acsi praedam non recte dividisset et magnam partem sibi retinuisset, parumque abfuerat, quin una cum collega damnaretur, unde ipse « Se populare incendium priori consulatu semiustum « effugisse" dicit cf. Liv. lib. 22. cap. 40. pater erat L. Paulli, qui postea rebus Romanorum florentibus Regem Macedonum Persen vixit et in triumphum duxit. Plut. in vita Aemilii Paulli et Pighius Ann. Rom. lib. 8.

(2) Liv. lib. 22. cap. 35. Appianus, bellum Hannib. cap. 17.

(3) Plut. Fabii Max. vita cap. 14. Liv. lib. 22. cap. 39.

victor Carthaginiensis et merito adventum ejus Roma metuebat ) antequam autem urbem relinqueret jactabat jam in antecessum Varro, sese victurum esse hostem obviam sibi venientem seseque bellum a nobilibus arcessitum brevi confecturum, quam ob rem semper procellas, proelia et acies jactando inter togatos ciebat (1).

C. Terentio Varrone et Aemilio Paullo Consulibus creatis, exercitus multiplicantur tantaeque copiae conscriptae sunt, quantas nunquam antea habuisse Romani leguntur (2) omnes nempe vires in-

(1) Liv. lib. 22. cap. 38 et 39. Silius Ital. lib. 8. v. 258.

(2) Polyb. lib. 3. cap. 107. Liv. lib. 22. cap. 36. Plut. in vita Fabii Max. c. 14. qui dicit, Consules 83,000 militum sub signis habuisse, ut affirmat Liv. lib. 22. cap. 36. Polybius octo legionibus Romanos bellum gessisse tradit, de numero vero et genere copiarum auctores variasse, patet ex Livio lib. 22. cap. 36. Non vero facimus cum Polybio, tradente Romanos hoc tempore adeo perculsos perterritosque fuisse metu impendentis mali, ut octo legionibus bellum gererent Polyb. lib. 3. cap. 107. potius contra credimus, Consules delectum habituros, tantas copias conscripsisse ut satis militum sub signis haberent, quibus una pugna hostem penitus profligarent unoque concussu patriam suam liberarent, non enim Res Publica in majori discrimine versabatur, quam quum Fabius Maximus Dictator crearetur, nec tamen ullibi reperimus tunc tam extraordinarium copiarum delectum locum habuisse, Consules enim semper cives militaris aetatis convocabant in Capitolium vel in Campum Martium Liv. lib. 26. cap. 31. Dion. Halic. Antiq. Rom. lib. IX. cap. 5.

intenderant ad depellendum Hannibalem hostem terribilem, cum omnes sibi persuadere viderentur de summa rerum contentionem futuram et in posterum aut Romam Carthagini aut Carthaginem Romae servituram; comparato tam ingenti exercitu, Consules non statim signa ab urbe moverunt, quia inspiciendi erant libri Sibyllini propter prodigia (1), atque milites, quod nunquam antea jurejurando a Tribunis militum adacti, *jussu consulum conventuros neque injussu abituros* (2). Quod ad Varronem attinet, more solito multas et feroces adhuc conciones habuit in quibus audaciam et futuram temeritatem denunciaret et nobiles etiam atque etiam objurgaret.

Quale igitur discrimen inter Fabium Maximum Dictatorem (3) virum odiosum Plebi, quamvis foedissimis et asperrimis temporibus Rem Publicam suscepisset abjectamque excitavisset et C. Terentium Varronem populo carum et gratum? Ille erat homo modestus et religiosus, qui magistratum suum iniens a Diis orsus edoceret, clades Romanorum plus negligentia ceremoniarum auspiciorumque quam

(1) Livius lib. 22. cap. 36.

(2) Sigonius annotat sacramentum triplex fuisse, nempe voluntarium, necessarium, et legitimum. Vid. Drakenborgh ad lib. 22. cap. 38. Livii, secundum Polybium sacramentum militare erat *ἦ μὴν πειθαρχήσειν, καὶ ποιήσειν τὸ προσταττόμενον ὑπὸ τῶν ἀρχόντων κατὰ δύναμιν* Polyb. lib. 6. cap. 21.

(3) Cic de Offic. I. cap. 24. cf. quae Liv. lib. 30. cap. 26. de Fabio dicit.

quam imperitia Consulum et ignavia militum accidisse (1), Terentius contra superbiens et jactans, vociferabatur publice, bellum mansurum in visceribus Rei Publicae, si plures Fabii imperarent, sese autem esse virum, qui praemium victoriae reportaret quo die hostem vidisset, qui solveret tyrannidem Patriciorum et Plebem redderet liberam (2); Fabius rei militaris peritissimus et prudentia insignis, semper timens summam rerum periculo committere, loca opportuna semper occupans, frangebat hostem cunctando et proelium differendo (3), Varro autem, dux rerum bellicarum imperitissimus sed audax et temerarius, copiis suis fretus et quantocyus pugnare cupiens, illico cum penes eum imperium esset imperitia et praecipitantia sua signum pugnae dabat et

(1) Polyb. lib. 3. cap. 83. Liv. lib. 22. cap. 9. Plut. in vita Fabii cap. 4.

(2) Liv. lib. 22. cap. 38. et Silius Ital. lib. VIII. v. 277 canens

Exaudi bone dictator, quid Martia plebes
Imperitet, bello Libyes Romamque levari
Hoste jubet: num festinant, quos plurima passos
Tertius exurit lacrymosis casibus annus?
Ite igitur, capite arma viri, mora sola triumpho
Parvum iter est; quae prima dies ostenderit hostem,
Et patrum regna, et Poenorum bella resolvet.
Ite alacres; lata devinctum colla catena
Hannibalem Fabio ducam spectante per urbem.

(3) Polyb. lib. 3. cap. 37. Liv. lib. 30. cap. 26. Plut. in vita Fabii Maximi. cap. 4.

et totum exercitum Romanum quasi vinctum Hannibali tradebat (1); Fabius contemnendo potius quam appetendo gloriam modum excessit, quum Varro nil paene aliud, quam honores et famam ob oculos haberet, Fabius nobilis proelium differendo ferre malebat criminationes et populi in se saevientis injuriam, quam manum conserendo salutem patriae periculo committere (2), quam ob causam apud Plebem suspectus quasi bellum traheret, nihil valebat, Varro vero Plebejus cum esset et homo popularis, acceptus erat civibus suis et maximam vim in illorum animos exercebat, quare, si Fabius tantum in concionibus valuisset quantum Varro, Romani nunquam in tantam calamitatem incidissent. Maximopere etiam in eo Fabius a Varrone differebat, quod ille etsi patria sua maxima clade obruta esset, nunquam animum demitteret, hic contra statim omni spe excideret; Fabius enim qui ante pugnam Cannensem timidus et segnis habebatur, mox patriae suae maximam opem tulit (3); Terentius vero uti ante proelium jactans et superbus, ita etiam animum dimisit post pugnam et nimis cladem detegendo et nudando ipse magnum in modum auxit rerum suarum contemtum (4).

A Consulibus in castra proficiscentibus, ut jam dixi-

(1) Polyb. lib. 3. cap. 117. Liv. lib. 22. cap. 44.
(2) Liv. lib 22. cap. 25.
(3) Liv. lib. 22 cap. 55. Plut. in vita Fabii Max. cap. 17
(4) Liv. lib. 23. cap. 5.

diximus pridie, quam Romam relinquerent, conciones habitae sunt, valde a se invicem dissentientes (1), nec mirum, nam magnum si discrimen interesset inter Fabium Maximum Dictatorem et C. Terentium Varronem, non minus hoc discrimen apparebat inter Paullum Aemilium et Collegam. Et quam comparationem Fabium inter et Varronem instituimus, eadem pene valet Aemilium inter et Terentium.

L. Aemilius Paullus nimirum erat vir nobilis, rebus bellicis exercitatus et militari gloria splendens, qui compulsus magis a Senatu quam sponte consulatum petierat (2) et qui ad finem vitae suae usque, non verbis sed rebus gestis suam virtutem probavit atque fortitudinem; miles strenuus, qui mortem vitae ignobili anteponebat, homo tam ingenuae mentis ut potius vitam demittere quam accusator collegae suae existere vellet (3); dux et consul, qui quamdiu potuit, semper restitit temeritati collegae memor consilii Fabii prudentis. Caeterum invisus populo et pavens plebis, a quo paene damnatus erat cum M. Livio Salinatore collega suo (4), sed gratus Patriciis, qui illum in exercitum

(1) Liv. lib. 22. cap. 38.

(2) Polyb. lib. 3. cap. 116. Liv. lib. 22. cap. 39. App. Bellum Hannib. lib. 7. cap. 17. et Liv. lib. 22. cap. 41.

(3) Liv. lib. 22. cap. 49. Plut. in vita Fabii Max. cap. 16. et Aemilii Paulli cap. 2.

(4) Polyb. lib. 3. cap. 107. Liv. lib. 22. cap. 35.

tum proficiscentem omnes prosequebantur. Hunc virum magis adversarium quam collegam datum proficisci videmus cum C. Terentio Varrone pugnandi avidissimo, bellicoso et temerario qui gloriae cupidini postponebat omnem moderationem atque consilium vulgi favoribus inhians, sordibus plebis immersus, jactator, alto animo ante periculum sed inter primos qui animum demitteret et hoste victuro tergum victus daret (1); potuitne aliter fieri quam ut in tali differentia indolis, in tam magna diversitate ingenii, jam ab initio maxima discordia regnaverit inter ambos Consules, quae veluti praesagium erat majoris cladis et calamitatis subsecuturae?

Consules tandem signa ex Urbe movent, Plebe magno cum comitatu Varronem prosequente, Patriciis contra et civibus spectatis Aemilium Paullum comitantibus (2). Cum in castra ventum esset, miscuerunt Consules novum et veterem exercitum castraque bifariam fecerunt, ut nova minora propius Hannibalem essent in veteribus autem major pars et omne virium robur esset (3). Hisce deinde paratis Consules Senatus voluntatem multitudini exponunt et milites ad fortiter pugnandum adhortantur

(1) Liv. lib 22. cap. 48. App. Bellum Hannib. lib. 7. cap. 23. Frontinus Stratagem. lib. 2. cap. 5. N. 2. 7. Val. Max. lib. 7. cap. 4. N. 7.

(2) Liv. lib. 22. cap. 40.

(3) Liv. lib. 22. cap. 40.

tur (1). Terentius praeterea Aemilio Paullo collegae extorsit alternis diebus ut imperarent (2) quod initium fuit calamitatis.

Audaciae et praepropero Varronis ingenio statim Fortuna materiam praebebat, praedatorum scilicet Carthaginiensium ab Hannibale emissorum multi occidebantur a Romanis eorumque sociis, quam parvam victoriam Varro temerarius statim persequi volebat, obstitit illi Paulus metu insidiarum, Varro hoc aegre ferens vociferabat, emissum esse hostem e manibus victoriamque sibi a Collega adimi (3); Hannibali contra, omnia Romanorum haud secus quam sua nota erant et sciebat, Consules dissimiles discordesque imperitare. Dux Carthaginiensis igitur locum et tempus insidiis aptum sese habere ratus, proxima nocte castra relinquit transque proximos montes copias suas in insidiis struit. Die lucente concursus in castris Romanis fit ad praetoria Consulum clamorque ortus est, Consules ut signa proferri juberent ducerentque exercitum ad hostes persequendos; Aemilius Paullus igitur, quamvis etiam atque etiam diceret providendum praecavendumque esse, tandem a multitudine et Varrone pugnandi cupido et veluti uno tur-

(1) Polyb. lib. III. cap. 108. Liv. lib. 22. cap. 41.

(2) Polyb, lib. III. cap. 110. dicit, quod moris erat, Consules ut alternis diebus imperarent. Vid. etiam Liv. lib. 22, cap 41. et Plut. in vita Fabii Max. cap. 15,

(3) Liv, lib. 22. cap. 41.

turbae militaris, circumdatus, Marium Statilium praefectum exploratum mittit, qui renunciabat insidias profecto esse. Haec nunciata magis magisque multitudinem accendebant, cui dux non deerat; nam Varro signum dabat proficiscendi, pulli autem quum auspicio non addixissent, Consul tamen memor cladis Flaminii apud lacum Trasymenum, quamquam aegre sese praelio abstinuit servis praeterea nunciantibus, Hannibalem in insidiis sedere (1). Hannibal fraude sua detecta in castra rediit, propter frumenti vero inopiam castra sua quae ante Gerunium habebat, movit arcemque oppidi, cui Cannae nomen, occupavit (2). Nocte profectus, ignes fecerat et pauca tabernacula reliquerat, hoc consilio, ut metus insidiarum Romanorum exercitum contineret. Rebus deinde satis exploratis, Varro, cui fere omnes assentiebantur hostem persequendum esse censebat, quamvis Paullus ab illo dissentiret, sed nihil dux prudens valebat contra impetuosum et audacem collegam et coactus igitur est invitus una persequi hostem (3).

Ad Cannas igitur cum Consules venissent, Hannibalem in conspectu habentes, eodem quo apud Gerunium modo copias diviserunt; Hannibal enim Cannas occupaverat, oppidum superiori quidem anno

(1) Liv. lib. 22. cap. 42. App. lib. 7. de Bello Hannib. cap. 18.

(2) Polyb. lib. III. cap. 107. Liv. lib 22. cap. 43, 44.

(3) Liv. lib. 22. cap. 43.

no dirutum, magni attamen momenti Romanis in eam et frumentum et reliquos commeatus e Canusio convehentibus, tum etiam, quia arx Cannarum vicino tractui imminebat (1). Hoc igitur loco profligandus erat hostis, hoc loco reportanda victoria, sed iterum castra Romana seditione militari et discordia ducum sollicitabantur (2). Et dum duces Romani tempus terebant cavillationibus, inimicus pugnae avidus aciem suam instructam tenebat, ut quaque pugnandi opportunitate sibi oblata uti posset et hoc modo prohiberet ne conductus miles, cujus stipendia non solvebantur aut ad Romanos transfugeret aut per agros frumentandi causa dissiparetur (3).

Hoc igitur consilio, omnes vires intendebat Hannibal ad eliciendos Romanos ad certamen, quamdiu vero imperium penes Paullum prudentem erat, hic omnia consilia a Fabio sibi ex Urbe proficiscenti data observabat, omnia enim plana circum esse videns, abstinendum proelio esse censebat, judicans praeterea Hannibalem ob commeatus ino-

(1) Polyb. lib. 3. cap. 107. differt hoc loco a Livio, Polybius enim tradit, Senatum misisse Consules ad exercitum, ab Hannibale arce Cannarum jam occupata; cum Polybio fere consentit Plutarchus in vita Fabii Max. cap. 15. et nullam mentionem igitur faciunt insidiarum ab Hannibale apud Gerunium Romanis structarum.

(2) Polyb. lib. III. cap. 110. Liv. lib. 22. cap. 44. App. Bellum Hann'b. lib. 7. cap. 8.

(3) App. Bellum Hannib. lib. 7. cap. 16.

inopiam diutius resistere non posse neque manum conserendam esse cum hoste multis proeliis exercitato, ipse contra plurimos tirones sub signis habebat. Opportunum eam ob causam Paullo videbatur, deducendum exercitum attrahendumque hostem ubi pedestribus copiis plurimum res gereretur, quum Hannibal longe superior equitibus esset. Huic prudenti consilio refragabatur pro imperitia sua Varro, qui memor sibi a populo mandatorum, consentientibus insuper omnibus et Senatoribus et ex Equestri ordine munere aliquo in exercitu fungentibus, indignatus quod bellum tam diu traheretur, aegre ferens minores istas invasiones a Numidis equitibus in aquatores Romanos factas, persuasus quod Paullus collega aeque ac Fabius certamen differret, sed cunctando hostem subigere conaretur, fretus insuper tam magno militum numero, censebat, jam nunc adesse tempus quo ostenderet, quid valerent arma Romana, fortitudine cum audacia juncta; Terentius igitur postero die exercitui imperans (1) statim nihil consulto collega, signum pugnae proposuit (2) Hannibalique

(1) App. lib. 7. Belli Hannib. dicit Imperium eo die penes Aemilium fuisse atque eum coactum esse ad pugnam copias ut instrueret, Hannibalem vero eo die noluisse confligere, Terentium ergo die sequenti copias eduxisse, cum omnes Romani pedibus in Varronis sententiam irent.

(2) Signum pugnae apud Romanos erat Sagum Coccineum, quod supra Praetorium expandebatur, Poenorum au-

que eam pugnam obtulit, quae magnarum illarum cladium una haberi potest quas Romani passi sunt, pugna Cannensis nempe pugnata est, infestissima et infelicissima Romanis.

Copiae nunc ex utrisque simul castris a Varrone pugnam minime detrectante educuntur et ita in aciem locantur ut frons totius aciei Meridiem spectaret (1). Cornua tenuerunt instructis copiis C. Terentius Varro laevum, Aemilius dextrum mediaeque pugnae praefuerunt Regulus et Servilius (2); Hannibal callidus reique militaris peritissimus, ut semper etiam nunc, quum de summa rerum aleam esset jacturus, astuta consilia ad pugnam adhibuit et copias suas ita instruxit ut ventum a tergo haberent et Septentrionem spectarent, quum multus pulvis a vento procelloso turbini similis in Romanos impelleretur (3), praeterea Afros suos

autem signum erat Sagulum Puniceum, vid. Plut. in vita Fabii Max. cap. 15 et Marcelli cap. 26.

(1) Polyb. lib. III. cap. 113. Liv. lib. 22. cap. 45. Silius lib. IX. v. 249.

(2) Appianus Bellum Hann. lib. 7. cap. 20. tradit Aemilium mediam pugnam, Servilium cornu sinistrum et Varronem dextrum cornu tenuisse, Silius contra lib. 9. v. 266. Paullum dextro, Varronem laevo cornui praefuisse mediamque pugnam Servilium tenuisse, cum quo faciunt Polybius lib. 3. cap. 114. et Livius lib. 22. cap. 45.

(3) Liv. lib. 22. cap. 46. Plut. in vita Fabii Max. cap. 16. Bellum Hannib. Appianus lib. 7. cap. 20. Val. Max lib. 7. cap. 4. de Externis N. 2. Florus lib. 2. cap. 6. Frontinus Stratag. lib. 2. cap. 5. §. 7.

suos omnes ad Romanos decipiendos Romano more amaverat (1) et laevo cornui praefecerat Hasdrubalem, dextro Hannonem, mediam aciem ipse cum fratre Magone curabat (2). Exercitibus hoc modo instructis commissa est pugna, in qua ab utraque parte fortissime pugnatum est, equites saltem tandem ad pedes desilientes vir cum viro certabant. In sinistro cornu, cui Terentius imperabat, stragem ingentem quidam Numidae qui specie transfugarum ad Romanos transierant, edebant, multo praeterea pulvere a vento excitato, vehementer Varro impediebatur, ita ut ne clades suas intelligere quidem posset, sic ut ab illo cornu fuga fieri coepta est (3).

Paullus altero in cornu, quamvis initio pugnae graviter vulneratus, attamen fortiter pugnans multis locis restituit proelium; occubuerunt tandem Romani ubivis a Carthaginiensibus circumventi aut oppressi et L. Aemilius Paullus consul graviter vulneratus mortem honorificam anteponebat saluti ignominiosae, obrutusque telis caesus est (4); at Var-

(1) Polybius lib. III. cap. 114. Liv. lib. 22. cap. 46.

(2) Etiam hoc loco differt Appianus Bellum Hannib. lib. 7. cap. 20. a Polybio lib. III. cap. 114. et Livio lib. 22. cap. 46. quum secundum illum dextrum cornu a Magone, sinistrum a Maherbale et media acies ab Hannibale regeretur.

(3) Liv. lib 22. cap. 48. App. Bellum Hannib. lib. 7. cap. 23. Valerius Max. lib. 7. cap. 4. N. 2. Frontinus Stratag. lib. 2. cap. 5. N. 2. 7.

(4) Polyb. lib. 3. cap. 116. Liv. lib. 22. cap. 49. Plut. in

Varro, qui jactaverat, sese esse illum virum, qui hostem vinceret, qui obtestante collega, nihilominus spretis omnibus bonis consiliis manum conseruerat, qui Paullum ignaviae et segnitiei accusaverat turpiter fugiebat paucis sequentibus eosque relinquens, quibus auxilium quantum in illo fuisset, ferre debuisset (1).

Fuit igitur haec illa pugna Cannensis, quae a Varrone commissa, Romam fere omnibus copiis, auxiliis, sociis, multis Senatoribus fortibusque ducibus privavit, qua pugna seu potius clade Varro nomen suum infame reddidit.

Proelio ad Cannas victus Varro omnibus suis copiis amissis fugit, Venusiamque venit cum septuaginta fere equitibus (2), ibique hospitaliter receptus, miseras exercitus reliquias, quantum potuit,

in vita Fabii Max. cap. 16. et Aemilii Paulli cap. 2. App. Bellum Hannib. lib. 7. cap. 24. Frontinus lib. 4. cap. 5. §. 5. Silius Ital. lib. 10. v. 290.

(1) Polyb. lib. 3. cap. 116. Liv. lib. 22. cap. 49. Plut. in Fabii Max. vita cap. 16. App. Bellum Hannib. lib. 7. cap. 25. Val. Max. lib. 3. cap. 4. 4. Silius Ital. lib. 9. v. 644. ubi praeclare sera temeritatis conscientia Varronis adumbratur Plut. in vita Marcelli cap. 9. et Aemilii Paulli cap. 2. Florus lib. 2. cap. 6. Errant autem Schütz et Ernesti in Clave Cic. scribentes C. Terentium Varronem in pugna cecidisse. De numero caesorum, non satis liquet, auctores enim hac de re differunt cff. auctores supra allati.

(2) Polyb. lib. 3. cap. 117. Liv. lib. 22. cap. 49. Plut. in vita Fabii Max. cap. 16. et Marcelli cap. 9. Orosius lib. 4. cap. 16.

tuit, collegit, ita ut Venusiae jam quinque millia militum sub signis haberet (1). Consulem Romanum invenerunt legati Campani, nunciantes senatum populumque Campanum aegre ferre, quod adversi aliquid Romanis accidisset omniaque offerentes, quibus Romanos juvare possent. Hisce Varro patriae suae conditionem exponendo nimisque cladem detegendo, magis damnum quam lucrum civitati attulit, non enim auxilia petebat, exigebat vero ut totum paene bellum Campani pro Romanis susciperent (2).

Copias suas deinceps Canusium traduxit ubi Scipio et Ap. Claudius Tribuni militum iis imperabant, qui ex binis castris Canusium fugerant (3). Canusii ergo quum Varro esset, Consulari quodammodo exercitui rursus praeerat, decem millia fere militum sub signis habens, quum litteras Romam misit, quibus se salvum Canusii nunciaret. quasi e naufragio reliquias exercitus colligentem, Paullum vero collegam magna cum parte exercitus caesum, Hannibalemque ad Cannas sedere (4). Hisce litteris Romae lectis et Senatu populoque conditionis rerum certiore facto, censuerunt Patres M. Claudium Marcellum praetorem Canusium mittendum scribendumque Consuli, ut tradi-

(1) Liv. lib. 22. cap. 54.
(2) Liv. lib. 23. cap. 5.
(3) Liv. lib. 22. cap 53.
(4) Liv. lib. 22. cap. 56.

dito Claudio Marcello exercitu, primo tempore Romam veniret (1); Marcellus igitur cum legione classis Canusium magnis itineribus proficiscitur, quum interea Romae omnes vires intendebantur ut urbs contra hostem appropinquantem defenderetur, M. Junio Dictatore creato (2). Terentius praeposito reliquiis exercitus Scipione Tribuno militum Romam proficiscitur (3) et ignominioso parebat Senatus consulto, ut copias quae é clade culpa sua accepta superessent, Marcello traderet. Consuli culpae suae conscio iram populi, poenam et omnium contemptum timenti, auctori cladis perniciosissimae Principes Senatorum, in quibus etiam Fabius Maximus omnesque ordines honoris causa obviam eunt atque gratias agunt quod de Republica non desperasset tantis cladibus obruta, sed adesset ad curam ejus suscipiendam (4). Hac vero in

(1) Liv. lib. 22. cap. 57. Plut. vita Marcelli cap 9. App. lib. 7. cap. 27.

(2) Liv. lib. 22. cap. 57.

(3) App. Bellum Hannib. lib. 7. cap. 26. e Livio non apparet, cuinam exercitus imperium Varro tradiderit, tantum apparet eum Romam profectum esse, vid. Liv. 22. cap. 61.

(4) Liv. lib. 22. cap. 61. Plut. in vita Fabii Max. cap. 18. Silius Italicus lib. X. v. 625. Val. Max. lib. 4. cap. 5. N. 2. Frontinus Strat. lib. 4. cap. 5. 5. Valerius de humili loco natis cap. 4. N. 4. praeterea tradit, Varroni a Senatu Dictaturam oblatam esse, quam nihilominus recusavit; Valerio videtur consentire Frontinus, secundum quem lib. 4. cap. 5. N. 6. Varro renuntiavit honoribus ei a populo oblatis, hac de re autem Livius, Plutarchus, et Silius

in re dubii haeremus, quid magis admirandum sit Senatus gravitas an providentia; quod si enim justissimam causam haberet offensionis in Varronem, quanta animi magnitudine eam deposuit, homine fortuna adversa perculso, ut animos omnium in tantis rerum angustiis erigeret; quam prudenter ipsum cladis auctorem tueri videbatur, adeo ut ei gratias ageret!

Quod Varroni obviam iverunt quamvis honorificum et valde inopinatum ei esset, non tamen e moerore eximere poterat quem sentiebat de calamitate culpa sua patriae illata, nam etiam per reliquum vitae suae tempus ostendit, se magis Rei Publicae quam vitae cupidine cladi Cannensi supervixisse, honoribus saltem ei a populo oblatis, renunciavit, felicioribus, dicens Rei Publicae magistratibus opus esse semperque deinde in luctu vivens, non amplius barbam aut capillum tondebat nec cibum recubans capiebat (1).

Varro rationibus rerum gestarum cladisque tristissimae redditis, non diutius quam opus erat Romae

lius nullam mentionem faciunt, secundum Livium contra Dictator jam creatus erat M. Junius cf. lib. 22, cap. 57. et Justus Lipsius de magnit. Rom lib 4. cap. 5. in fine.

(1) Frontinus Strat. lib. 4. c. 5. § 6. Romani in luctu crines nutriebant, quos Graeci contra tondebant vid. Euripides in Alcestide vs. 512. cf Plinius lib. 7. Ep. 27. et Aulus Gellius Noct. Att. lib. 3. cap. 4. de P. Scipione Africano narrans, eum quum reus esset, neque barbam dedisse radendam neque candida veste usum fuisse.

mae ut videtur, mansit, profectus vero statim est in Apuliam ad exercitum, ut quocunque modo damnum patriae illatum resarciret; quum vero cladibus continuis magna pars Senatorum interiisset multique Senatores deficerent, explendus erat Senatus, ut justus numerus adesset; Dictator igitur Senatus legendi causa creandus erat. Patres hanc ob causam, quum Dictator a Consule dicendus esset, arcessiverunt Varronem ex Apulia, qui statim Romam veniens, praesidio exercitui relicto, nocte proxima (1) M. Fabium Buteonem ex Senatus Consulto sine Magistro Equitum Dictatorem in sex menses dixit (2).

Nocte jam insequenti clam Romam reliquit et inscio Senatu ad exercitum subito rediit; Comitia enim quum habenda essent, nolebat diutius in Urbe manere, pudore ut videtur vitae suae in recentioribus comitiis gestae concionumque habitarum, experientia edoctus, facilius domi verbis quam in bello factis hostem vinci posse, et est, quod in hoc ejus agendi modo laudemus, non enim amplius est superbia elatus, homo vanus, turbulentus, inquietus sed facilis, timidus atque infortunio fractus.

Nihil magni momenti deinde in Apulia ab illo gestum est, sed tantum ad praesidium hujus Provinciae cum exercitu adfuisse videtur et satis bene munere functus, quum

(1) Silente enim nocte et captis antea rite auspiciis creabatur Dictator Liv. lib 9 cap. 38.

(2) Liv. lib. 23. cap. 22. A. U. 538. a. Ch. 214.

quum imperium in annum ei prorogatum et nihil de exercitu quem habebat diminutum sit. Deinde a T. Sempronio Graccho et Fabio Maximo denuo copias dividentibus, in Apuliam missus est. M. Valerius qui acciperet exercitum, cui Terentius praepositus erat, dum huic Proconsuli negotium daretur, Piceno agro praesidio esse ibique conquisitionem militum habere (1). Habilior sane fuit huic negotio quam summo imperio aut rei gerendae, quum ei sequente anno imperium prorogatum sit et legio relicta Q. Fabio Maximo et M. Claudio Marcello Consulibus (2), illa cum legione adhuc annum in Piceno fuit Q. Fabio Maximo filio et T. Sempronio Graccho Consulibus (3). Copias deinde suas, quibus in Piceno agro praefuerat, sequenti anno Claudio Neroni tradidit (4).

Varia fortuna deinceps bellum sequentibus annis gestum est, etsi nil Varroni mandatum esse reperimus, quatuor autem annis post, Romae quum nunciatum esset, Etruriam velle deficere, Varro, cui post cladem Cannensem minores tamen partes Rei Publicae imponebantur cum imperio Arretium missus est, obsides ab Arretinis ut acciperet Romamque deduceret; ut etiam liberos Senatorum centum viginti obsides Romam duxit, ibique om-

(1) Liv. lib. 23. cap. 32. Pigh. Ann. Rom. lib. 9.

(2) Livius lib. 24. cap. 10. Pighius ann. Rom. lib. 9. A. U. 540. a. Chr. 212.

(3) Liv. lib. 24. cap. 44. Pighius ann. Rom. lib. 9.

(4) Liv. lib. 25. cap. 3. A. U. 541. a. Chr. 231.

omnia suspectiora in Senatu fecit, quam ob causam accepta legione jussus est, illam Arretium ducere ibique praesidio esse. Huc quum venisset omnem curam adhibuit, ut Arretini in sua potestate essent, clavibus saltem portarum fraude amotis, alias omnibus portis imposuit cavitque ne Arretini quid novi molirentur (1). Rebus ita Arretii constitutis missus est anno post propraetor in Etruriam ut exciperet C. Hostilium, cui Tarentum proficiscendum erat et duas legiones volonum, quibus in Etruria praeerat, anno post M. Livio Proconsuli tradidit (2).

Tribus annis post legatus una cum C. Mamilio et M. Aurelio mittitur ad Philippum Macedoniae Regem, qui male tractaverat urbes socias Graeciae illarum agros vastando nec legatos in Macedoniam admittendo ad se missos, tum etiam quia auxilium Carthaginiensibus tulerat, offensionem Patrum nunciaturus, quippe haec contra foedus facta (3); altera legatione post aliquod temporis spatium functus est una cum Sp. Lucretio et Cn. Octavio Carthaginem nunciaturus, Hamilcarem in Gallia remanere, et populum excitare contra Romanos, nec profugos omnes Romanis redditos esse et in Numidiam ad Masinissam, ut ei gra-

(1) Liv. lib. 27. cap. 24. Pigh. ann. Rom. lib. 9. A. U. 546. a Chr. 206.

(2) Liv. lib. 27. cap. 35 et 36 et lib. 28. cap. 10. Pigh. ann. Rom. lib. 9.

(3) Liv. lib. 30. cap. 26.

gratularetur, quod patrium recuperasset regnum nunciaretque bellum cum Philippo Rege susceptum esse, quod Carthaginienses auxiliis juvisset et Romanos eam ob causam petere auxilia equitum Numidarum, qua occasione legati Romani dona ampla secum afferebant, quae ferrent Regi, pollicentes simul Romanos omnia praestituros, quae ad augendum et firmandum regnum Massinissae opus essent (1).

Ultimum munus, quod Varroni mandatum est, fuit Triumviratus, ad supplendum Venusinis colonorum numerum; bello enim Punico tot hominis consumente, etiam hujus coloniae valde attinuatae erant vires (2). Triumvir igitur cum T. Quinctio Flaminino et P. Cornelio Cn. F. Scipione colonos Venusium adscripsit.

Reliquum vitae spatium quiete transegisse et in otio consenuisse videtur, cum nullus amplius de eo auctor mentionem faciat. Ad provectiorem aetatem illum pervenisse, inde colligimus, quod Cicero eum cum Catone majore grandiorem natu fuisse asseverat, quamvis justum annum aetatis non apponat (1); moriens reliquit filium A. Terentium Varronem, qui avi praenomen tulit, et feliciori quam pa-

(1) Liv. lib. 31. cap. 11. A. U. 553. a. Chr. 199. P. Sulpicio Galba et C. Aurelio Coss.

(2) Liv. lib. 31. cap. 49.

(3) Cic. in Bruto cap. 19.

pater fortuna usus, contra Celtiberos pugnavit et ovans urbem intravit (1), sed haec non sunt hujus loci.

(1) Liv. lib. 39. cap. 16. Pigh. Ann. Rom. lib. 20. Cfr. Marmora Capitolina et Tabulae Triumphales.

T A N T U M.



# THESES.

## I.

Ut populus a licentia ad veram libertatem reducatur, una tantum patet via, scilicet tyrannis.

## II.

Iniquus est Livius scribens, C. Terentium Varronem sibi soli studentem.

## III.

Verba « Vi Superum" apud Virgilium Aeneidos Lib. I. vs. 4. perperam ab Heynio explicantur « Numine ac voluntate Deorum."

## IV.

Pro « quo numine laeso" in Virgilii Aeneid. Lib. I. vs. 8. legi mallem « quo numine laesa."

V.

Laudationes funebres semper et ubique Historiae magis nocuerunt quam profuerunt.

V I.

Quum Romae et Athenis libertas vigeret, discordiae civiles multum eloquentiae profuerunt eamque corroborarunt.

V I I.

Victoriae ab Hannibale reportatae, inter causas sunt recensendae, propter quas omnia perdidit.

V I I I.

Quatuor priores versus Virgilii Aeneid. Lib. I.

Ille ego, qui quondam, gracili modulatus avena
Carmen etc.

non sunt Virgilii.

I X.

Hannibali vitio non est vertendum, quod post cladem Cannensem, Romam non obsederit.

X.

Brutus in Epistola ad Ciceronem (Cic. Epist. ad Diversos Lib. XI. 10.) in allato proverbio « Si Varronis thesauros haberem" M. Terentium Varronem intellexisse videtur.

X I.

Tribuni Plebis plus nocuerunt Rei Publicae Romanae quam profuerunt.

X I I.

Minime verosimile est, C. Terentium Varronem fuisse avum M. Terentii Varronis, ut scribit Simson in Chronico ad annum mundi 3889.

X I I I.

Comoedia et Tragoedia religioni populari et moribus plurimum obfuerunt apud Graecos et Romanos.

X I V.

Inique judicat Dionysius Halicarnassensis de Polybio, Antiq. Rom. Lib. I. C. 4. dicens ὧν — ὀλίγα, καὶ οὐδὲ αὐτὰ διεσπουδασμένως, οὐδὲ ἀκριβῶς, ἀλλ' ἐκ τῶν ἐπιτυχόντων ἀκουσμάτων, συνθεὶς, ἀνέγραψεν.

XV.

## X V.

Philosophia Stoica Jurisprudentiae Romanae multum profuit.

## X V I.

Difficile est, statuere, quae vocabula Latina sint, quae non sint, modo ne repugnent analogiae sermonis Latini.



